Addunt & aliam, videlicet interemptionem Ananiæ, &
A Sapphyræ, quam artibus magicis tribuebant, quæque jam publica facta erat.

MODI CUSTODIA,
Ut idem eſt quòd Carcer.

Lenis, Liberior.

Erant carceres olim pro levioribus delictis, loco commodiore, atque intra ipſam civitatem. Qualis carcer fuiſſe colligitur, in quo detinebatur Jeremias Propheta, de quo legimus, quod clauſus erat in atrio carceris, qui erat in domo Regis Juda. *Jerem. cap.* 32.

Talis cuſtodiæ meminit Eſdras *cap.* 3. *l.* 2. *verſ.* 25. vocans turrim, quæ eminet in domo Regis excelſa.

☞ *Adduci huc debent quædam ex Titul, Clementia erga captivos.*

Arcta, Severa.

Alius erat carcer facinoroſorum, & conjunctus loco ſup-
B plicii, qui in actis Apoſtolorum vocatur Porta Ferrea. Tali claudebatur Petrus *cap.* 12. Eratque teterrimus, & fœtidus, quod ſonat nomen *Bettiſo*, quaſi domum ſordium, ſive ejectionis ſtercoris. Criminoſiores enim in tetrum carcerem velut ſordes coniiciebantur.

De tali carcere accipi poteſt, quod de Theſauro Miſſeniorum ſcriptum *Plut.* requirit *in Mario*, qui ſubterraneus erat ex ſaxo quadrato, imperviuſque luci, & auræ. Vel dici poteſt fuiſſe barathrum Romanorum, vel Athenienſium, de quo idem *Plut. in Philopœm. & Mario.*

☞ *Huc refer ex tit, Crudelitatis, & Severitatis adversùs captivos quædam.*

☞ *Vide Tit, de Carcere.*

NON CARCERALIS.

Et quare Cuſtodia pro carcere uſurpetur.

Quia plerunque Milites ad Cuſtodiam carceris adhibebantur: factum eſt, ut ipſum Cuſtodiæ nomen in Carceris
C ſignificationem tranſierit. Et quatenus dicitur de aſſervatione ſontium, deſcribit eam *Suidas* v. Cuſtodia, Κουστωδία τὸ τῷ δεσμωτηρίῳ ἐπικείμενον στράτευμα σύστημα στρατιωτικόν. Cùm Perſeus Macedonum Rex in carcere à Paulo Æmilio detineretur, milites pertæſi cuſtodiæ, ipſum vigilia extinxerunt, ſomnum capere non permittentes, ut narrat *Plut. in Æmilio.*

Non tamen ſemper hujuſmodi cuſtodia carceralis erat. Immò ab hac illam diſtinguit *Conſtantinus*, dum fiſci debitores in carceres duci vetat, præcipiens: Contineantur aperta, & libera cuſtodia, & in uſu hominum conſtituta cuſtodia militari.

S. CYPRIANUM narrat *Pontius in vita*, fuiſſe ductum, ac ſuſceptum ab ſtratore officii Proconſularis.

Plinio reſcripſit *Trajanus l.* 10. *Epiſt. ad Trajan.* ut in Bythinia per publicos ſervos cuſtodiæ ſervarentur, quòd ea ibi conſuetudo obtinuiſſet.

Tales cuſtodiæ etiam erant, quæ nomine Caſtrorum indicantur, *cap.* 21. *Actuum Apoſtol.* Ubi ſcribitur, Paulus juſſus à tribuno duci in caſtra. Erant autem illa in turri Bari, dicta ab Herode Antonia, in angulo duarum porticuum prioris tem-
D pli ſimul cum regia, &c. lege Joſeph. *lib.* 6. *de bello Jud. cap.* 6. & *l.* 5. *Antiq. cap.* 6. *Egeſipp. l.* 1. *de excid. Jeroſol. cap.* 6. *Ariſteam lib. de* 70. *Interpret.*

Ita *cap.* 23. *Act.* legimus, Paulum ne diſcerperetur à Sadducæis, juſſum rapi à militibus, & deduci in caſtra.

Idem jubetur *cap. eodem verſ.* 34. à Præſide Antipatridis (Urbs eſt prope Hieroſolymam, ab Herode Rege in honorem patris ſui ita dicta) in Prætorio Herodis eum cuſtodiri. Herodes eum in gratiam Cæſaris Auguſti, Stratonis turrim dilataverat, nomen Cæſareæ ei imponens. Et inter alia ornamenta Prætorium ibi extruxerat, & in illo reorum cuſtodiam.

Cæterùm nihil magis eſt obvium, quàm quod cuipiam domus, aut civitas pro cuſtodia detur à ſuperiore, neque tamen quis dixerit eam cuſtodiam eſſe carceralem.

Cutis Affectus.

☞ *Quære Affectus Corporis. Item locum de Morte, Morbus, &c.*

* Cyclopes.

QUI. ET UNDE DICTI.

CYclopes à Κύκλος, quod Circulum ſignificat, & ὤψ, id eſt, lumen, ſive oculus, dicti, quod unum in fronte orbicularem oculum habere dicerentur. Fuerunt populi antiquiſſimi Siciliæ, qui primi æris, ferrique fabricam inveniſſe perhibentur. Unde apud Poëtas miniſtri Vulcani finguntur, Jovique fulmina fabricare. De iis ita *Virgil. l.* 8. *Æneid.*

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Piracmon.

quorum etiam *Ovidius* meminit *l.* 4. *Faſtorum.*

Horum Principem faciunt Polyphemum, quem Ulyſſes Mareotico vino in antro ſuo ſoporavit, ſeque, & ſocios à morte liberavit. Legatur allegoria *De Polyphemo apud Servium in l.* 3. *Æneidos.*

* Cynici.

PHiloſophici fuerunt ſectam habentes diſſentaneam vitæ F
humanæ. Nam & nobilitatem, & divitias abiiciebant, arteſque liberales repudiabant. Magiſtrum habuerunt Antiſthenem, & ab illius gymnaſio Cynoſargo ita dicti, vel ut alii à Canina mordacitate, qua in omnes invehebantur. Erant enim in loquendo impudentes, & amabant verborum licentiam, nihilque turpe dictu aſſerebant, quod non idem eſſet turpe factu.

Ex horum ſecta erat Diogenes, qui rogatus quare Canis appellaretur, reſpondebat; Quia dantibus abblandior, & non dantibus allatro, malos autem mordeo. Videatur de illis *Cicero lib.* 1. *offic.* ☞ *Quære Tit. Philoſophi, ſ. Philoſophorum ſectæ.*

* Cyprus. Cyprii.

CYprus Inſula in mari Pamphylio, inter Ciliciam, & Syriam miræ fertilitatis: olim Macaria, hoc eſt beata dicta, luxui dedita ſemper fuit, unde & Veneri ſacram fecit
Antiquitas, nam poetæ fabulantur, Venerem, dum Concha G
veheretur per mare, Paphos urbem Cypri adnavigaſſe, & Paphias mulieres pulcherrimas ſibi comites junxiſſe. Fœminæ hic olim libidinibus vagis deditæ fuerunt, ſic ut cuivis ſui corporis facerent poteſtatem. Invaſit eam Inſulam Pygmalion princeps virtute præſtans: cumque mulierum laſciviam impedire non poſſet, vitam cœlibem ducere inſtituit, ne illarum mulierum amplexibus irretiretur. Ne tamen omnino amoris expers eſſet, omniumque mulierum odium in ſe unum concitaret, ſtatuam ex candido ebore muliebrem imaginem præferentem magna arte clam parari, & in domo ſua collocari juſſit, eamque ſplendidè ornavit. Exiſtimatum à civibus, Reginam eam eſſe, atque in deliciis haberi, ita vitam intuentibus ingerebat.

Habet Cyprus Urbes varias, præcipuè ſunt Nicoſia, & Famaguſta. In circuitu verò habet CCCC. & XXVI. paſſuum millia, in longitudine CC. Bordonio teſte.

Fuit hoc regnum Cypri tributarium Sultanis Ægypti, ex quo anno M. CCCC. XXXII. Janus Petri filius ex Luſignana familia oriundus, cum Melechella Sultano Ægypti infeliciter pugnavit, captuſque fuit, ac perſoluto C. & XV. millium Sera-
phinorum precio, in regnum rediit, & tributarium Sultano H
fecit. Turcæ autem Ægyptum in ſuam poteſtatem redigentes, etiam Cyprum tributariam habuerunt.

Cæterùm poſtquam Reſpublica Venetorum hanc Inſulam à Catharina Cornara, relicta Jacobi Archiepiſcopi Famaguſtani, qui abdicato epiſcopatu regnum invaſerat; ſuæ gentis matrona, cenſu annuo quinque millium Cichinnorum redemiſſent, Selymus II. Turcarum Imper. anno Chriſti M. D. LXX. miſſis legatis, Regnum ſibi tradi poſtulavit, indictoque Venetis bello, occupavit. Legatur hiſtoria Turcarum *Jacobi Boiſſardi Voſuntini.*

Finis Litteræ C.

THEA-

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK, ARCHIPRESBYTERO ANTUERPIENSI.

Littera D.

* *Aſteriſci Titulis ſive generalibus, ſive ſecundariis, rebuſve ſub iiſdem contentis præfixi, poſterioris Auctarii ſunt Indices.*

* D. Littera.

ILLIUS FIGURA. NOTA. USUS.

A D LITTERA, ex numero earum, quæ Mutæ appellantur Græcis pingitur hoc modo Δ, eamque notabant olim per tres ſtellas in trigonum ſitas. Eaque de cauſa, ait *Pierius in hieroglyph. l.* 47. *c.* 30. ſignum cæleſte inter æſtivum, & æquinoctialem Circulum ſupra caput Arietis, Δελτωτὸν vocant: & Ægyptum quoque à forma triangulari nuncuparunt.

B Uſus illius varius reperitur in monumentis, nummis, & notis antiquorum. Ubi reperies per hanc literam ſolitariè poſitam, deſignari vel Diem, vel Dona, vel Divus, vel Dedicat, vel Dii, aut quid ſimile. Unde D. Aug. divo Auguſto. L. M. D. lubens merito dicat, vel dedicat, &c.

In numeris verò littera D, uſurpatur, ut quingenta denotet; cujus rei originem inveſtigat ſupra memoratus Pierius *lib.* 38. *c.* 46. verùm cum ſatis obſcurè ea de re loquatur, longèque petitam adferat narrationem, remittimus curioſum lectorem ad locum allegatum.

C

Dactyli.

Quære Palma, in Titulo Arborum.

Dactyliographi.

Quære Tit. de Mechanicis opificibus.

* Dactylomantia.

D

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA,

DΑκτυλομάντεια eſt Divinationis ſpecies, quæ ex annulis ad certum cœli ſitum conſtructis, vel incantatis, & ſuper tripodem ad certa verba motis divinat. ita deſcripſit *Amm. l.* 29.

EJUS USUS ILLICITUS, ET NOXIUS.

Talis fuit annulus Gygis, Poetis celebratus, quo, *teſte Herodoto*, fretus, Caudalem interemit. Tales habuere duo illi Phocenſium Tyranni, de quo Clemens Stromateus; qui ſonitu ſponte edito, eum commovebant, commodo rerum gerendarum tempore, qui tamen nec ſic inſidias conſpirantium evadere potuit.

Fuit hujuſmodi annulus exitio cuidam Hieronymo Cancellario Mediolanenſi, ut & alteri, qui cùm eum in ignem con-
jeciſſet, mente non bona, ſtatim à Dæmone in furorem a- E
ctus eſt.

Princeps quidam hoc ævo emerat incantatum annulum aureis ††. ea ſpe, quàm venditor addixerat, quod dum illum geſtaret, aleæ, & chartarum ludus ei ſuccederet in lucrum. Cedebat initio haud infeliciter: ſed redit ad fritillum, cum ſumma pecuniæ jactura. Et deluſum ſe videns, annulum confregit, quem inemptum oportuit. *Delrius in Diſquiſit. Mag. l.* 4. *c.* 2. *q.* 6. *ſect.* 4.

F

Conſule Tit. de Divinatione.

Dæmon. Diabolus. Sathan.

* NOMEN, DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

DÆmon vox eſt Græca δαίμων, *Luc.* 8. 29. malus angelus,
ſpiritus immundus. *Dæmones* δαίμονες, *Matt.* 8. 3. 1. G
Marc. 5. 12. *Apoc.* 16. 14. & 18. 2. Diaboli Angeli mali, apoſtatæ, reprobi Angeli, *Dæmonium*, & *dæmonia*, δαιμόνιον, diabolus, δαιμόνια, diaboli, de quibus frequens mentio apud Evangeliſtas. *Act.* 17. 18. ξένων δαιμονίων nomine, dii peregrini, idola nempe, quæ colebantur ab Athenienſibus intelliguntur. Atqui ſub, & in idolis diaboli ſuis mancipiis jam olim miris modis impoſuerunt. Heb. dæmon, *Sched*, dæmones, *Schedimi*, id eſt vaſtator, vaſtatores, dicuntur à verbo *Schadhhad*, vaſtavit, devaſtavit, depopulatus eſt. Inde, σκεδάω, diſpergo, devaſto. Et certè perpetuum Sa-
tanæ epitheton, vaſtator eſt, qui & *Apollyon*, id eſt, per- H
dens, atque *Abaddon*, id eſt, deſtructor nominatur, ab *Abadh.* perdidit, &c. *Vide Apoc.* 9. 11.

Dæmonis nomen apud Ethnicos bonis, & malis ſpiritibus attribuebatur: Chriſtiani malos dumtaxat ſic nominant. Dæmonium aliquando pro ſummo Deo, ut etiam Θεῖον, aliquando pro quovis dæmone uſurpant, ut cum Socratis dæmonium dicunt: Plato Θεῖος dictus, quod magis de rebus divinis docuerit: Ariſtoteles διάβολος, quod de humanis, & naturalibus, *Con. Geſn. in pand. l.* 15. *titul.* 4.

Diabolus, Græca dictio eſt, διάβολος, calumniator, & διαβολὴ, ῆς, calumnia, διαβάλλω, criminor dicitur. Quid

autem

autem ſit Diabolus, vide ſupra in Dæmonium. Sanè cœpit ille A malignus ſpiritus Diabolus dici, poſtquam homini invidit.

Diabolus, calumniator, quod nos coram Deo, & coram conſcientiis noſtris accuſat, *teſte Job hiſtoria, & Apoc.c.12.* Ob eandem cauſam noſter *ἀντίδικος*, adverſarius litigans coram judicis tribunali, *Petr.5.8.* nominatur. Præterea diabolus verè eſt, quod calumniando homines contra ſeſe invicem concitat, & à verò Deo ejuſque religione, ac veritate abducit. Ex calumniis autem, & mendaciis hujus adverſarii innumera mala, quæ homicidii voce aliquoties exprimit Scriptura, naſcuntur. Eſt verò hic campus mendaciorum, calumniarum, ſycophantiarum, longe ampliſſimus: in quo Sathan ſementem, ac meſſem uberrimam facere ſolet inter omnium ordinum homines, omnium hominum ſocietates, à lapſu primi hominis ad mundi finem.

Sathanas adverſarius, Hebr. *Sathan*, in novo Teſtamento ſathanas, & Sathan, à verbo Hebræo *Sathan* adverſatus eſt, adverſarius fuit, odiosè alicui ſe oppoſuit, inimicus fuit; tam de homine, quàm de diabolo dicitur. *Sitnah*, adverſatio, adverſativa oratio, rixa, inimicitia, odium, *Gen.26.21. Eſdr. 4.6.* Vide de Sathanæ nomine quibuſdam attributo, *Pſal.10.* B *20. & 71.13.* item, *Num.22.22.23. 1.Reg.29.4. 2.Reg.19.23. 3.Reg.5.4. & 11.14.23.25.*

* Epitheta, Et Appellatio.

Cùm non unus tantùm ſit diabolus, ſed plures Angelos reprobos ſecum habeat, appellantur dæmonia, & dæmones, *Deuter.31.17. Pſal.96.5. & 106.37. Matt.8.16.28.33. & 9.34. Luc.11.20. 1.Corinth.10.20. 1.Tim.4.1. Jac.2.19. Apoc.9.20. & 16.14. & 18.2.* Angeli item diaboli, *Matth.25.41. 1.Corin.6.3. 2.Corinth.12.7. 2.Petr.2.4. Jud.6. Apoc.12.7.9.* quia diabolo capiti ſuo inſerviunt in hominibus ſeducendis, ac perdendis. Nominantur etiam Angeli mali, & impuri, *Matth.10. 1.Marc.1.27.* quod homines ad impuras libidines inſtigent: dæmones, quaſi *δαήμονες*, *Matth.9.24. &c.* à ſingulari ſcientia rerum in natura etiam occultarum. Ad hæc appellantur imperia, principatus, poteſtates, domini mundi, rectores tenebrarum hujus ſeculi, ſpiritualis malitiæ, *Epheſ.6.12. Col.2.15.* Angeli, qui peccarunt, qui non ſervata ſua origine reliquerunt ſuum domicilium, in tartarum detruſi, catenis caliginis traditi, ad damnationem ſervati, judicio magni illius diei vin- C culis æternis ſub caligine reſervati. *2.Petr.2.4. Judic. v.6.*

Diabolus dicitur jumentum, draco, & avis. Humanum genus tribus vitiis valdè tentat: luxuria, malitia & ſuperbia. In eis igitur, quos excitat ad luxuriam jumentum eſt: ad nocendi malitiam, draco eſt: ſuperbiam, avis eſt. *Greg.l.3. Moral.*

D. Cyprian. Diabolus dictus ſerpens, quæ cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit (unde nomen ſerpentis accepit) ea eſt ejus aſtutia, ea eſt circumveniendi hominem cæca fallacia, ut videatur noctem aſſerere pro die, venenum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, &c. *Tract.3. de prælat. ſimplici.*

Vocatur quoque Accuſator fratrum, in *Apocalypſi c.12.* ubi dicit S. Joannes; Accuſator fratrum noſtrorum projectus eſt, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri, die, ac nocte? quæ verba exponens S. Gregorius *l.2. Moral. c.5. ait*: in die accuſat, cum proſperis malè nos ut infiuant: in nocte accuſat, cùm in adverſis nos non debere habere patientiam demonſtrat. Sic accuſavit B. Job, cùm dixit: Nunquid Job fruſtrà timet Deum, &c.

In vita S. Antonii apud Athanaſium notiſſima eſt accuſatio D acerrima dæmonum adverſùs eundem Sanctum, & Angelorum pro eodem defenſio.

Extant hujus rei viſiones plurimæ, in quibus viſus eſt Angelus propugnare morientes adverſùs impugnationes Dæmonum.

* Natura.

Diabolus eſt angelus per ſuperbiam ſeparatus à Deo, qui in veritate non ſtetit, doctor mendacii, quia ab ipſo primum inventum eſt mendacium. Ipſe eſt adverſarius effectus generis noſtri, inventor mortis, ſuperbiæ inſtitutor, radix malitiæ, ſcelerum caput, princeps omnium vitiorum, perſuaſor turpium voluptatum. Hinc ergo cùm illum primum hominem à Deo factum Adam patrem omnium noſtrum intueretur, videretque hominem ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compoſitum, charitate circumdatum, immortalitate veſtitum, æmulus, atque invidus tantam beatitudinem hominem æternum accepiſſe, quod ipſe, dum eſſet angelus, per ſuperbiam agnoſcitur amiſiſſe. Invidit ſtatim inſatiabilis homicida, primùm parentem noſtrum E tantis, & talibus bonis exſpoliavit, & nos interemit. *Auguſt. ad Julianum Comitem.*

Sciendum eſt, hanc eſſe naturam dæmonum, ut aerei corporis ſenſu, terrenorum corporum ſenſum facilè præcedant, celeritate etiam propter aerei corporis ſuperiorem nobilitatem, non ſolùm curſus quatumlibet rerum, ut hominum, vel ferarum, verùm etiam volatus avium incomparabiliter vincant. Quibus duabus rebus quantum ad aereum corpus attinet, præditi, hoc eſt, acumine ſenſus, & celeritate motus multò ante cogitata nuntiant, quæ homines pro ſenſus terreni tarditate mirentur. *Angel.l. de Natura dæmonum.*

Sunt igitur Dæmones ſubſtantiæ corporis expertes, & à materia diſiunctæ, quod probari ſolet *c.8. Lucæ*: ubi legimus, fuiſſe in uno homine Legionem Dæmonum, quæ tamen continet ſex mille ſexcentos LXVI. qui omnes in eodem corpore conſiſtere non poſſent abſque dimenſionum penetratione, ſi corporei eſſent. Adde Dæmones eſſe Angelos, ut è quorum ordinibus ceciderunt ob ſuperbiam, qua Altiſſimo ſimiles eſſe affectarunt. Concil. quoque *Lateranenſe 11.c. Firmiter de ſumma Trinitate*, vocat Angelos creaturam ſpiritualem. F

* Creatio, Et Lapsus.

Dæmones, ſi conſiderentur ſecundùm ſtatum naturæ, fuerunt ab initio, & etiamnum ſunt in ordine Angelorum, cùm iiſdem creati à Deo, juxta probabilem ſententiam, cum ipſo cœlo Empyreo. Verum ſtatim poſt creationem averſi à Deo, demeruerunt, & gratuitis ſuis bonis abuſi fuerunt, quomodo apud Iſaiam dicitur in perſona Dæmonis. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, *cap.4.* ſuperbia enim ruinæ ipſorum Dæmonum cauſa fuit, ita ut miniſterio ſociorum Angelorum, qui in gratia perſtiterunt, cœlo deturbati, æterniſque ſuppliciis fuerint mancipati. Quanta autem mora fuerit inter creationem, & lapſum, deinde fuerit pugna, quam inter Angelos bonos, & malos commiſſam deſcribit in Apocalypſi ſua Joannes: denique quanta pars Angelorum ceciderit, & num eorum ruinæ præciſe ſint implendæ, ſic ut plures homines ſalvandi non ſint, quam juxta numerum Angelorum, qui ceciderunt: non eſt hujus inſtituti curioſius inveſtigare. Videantur Commentatores *in S. Thomam q.63. a.6. p.1. & de malo q.16.* Opinio quorumdam fuit, tertiam partem G Angelorum cecidiſſe cum Lucifero tanquam ſuo Principe, cujus ſuperbiam fuerant imitati, dum illius exemplo contemplantes naturæ ſuæ dignitatem, ſe extulerunt, ac naturæ ſuæ, non Dei beneficio, beatitudinem adſcribendam, Deique ſimilitudinem, immò & locum humanitati Chriſti debitum, Lucifero ſuo attribuendum cenſuerunt. Videatur *Thomas* ſuprà *art.3. & 7.*

* Errores *circa Dæmonum naturam*.

Platonicorum dogma fuit, Dæmones natura præditos aereo corpore, & perindè ac homines affici perturbationibus, & obſcœnis voluptatibus, Conſtat ex Auguſtino *l.8. de Civ. Dei, c.17. Apulio in l. de Socratis Dæmon. Plut.l. de Iſide.*

Nonnulli alii adducti verbis illi *Gen.c.6.* Ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, &c. ſenſerunt Dæmones, poſtquam gradu, & gratia ejecti fuiſſent, aſſumptis corporibus, ex concubitu fœminarum liberos procreaſſe. *Ita Philo.l. de Gigant. Joſeph.l.1. Antiquit.c.5. Clemens l.3. ſtromat.* & alii plures, qui exiſtimarunt Genios ex illis prognatos rem H habuiſſe cum fœminis, eaque ratione ſuam propagaſſe poſteritatem. Cæterum loco illo Geneſeos, per filios Dei intelligi poſteros Seth, qui fideles erant; nomine autem filiarum hominum, eas, quæ erant de familia Cain, communis eſt explicatio.

Talmudiſtarum error eſt, Dæmones fuiſſe genitos ex Adamo, & alia uxore, quam habuiſſe eum fingunt ante Evam, nomine Lillis, ac cum ea vixiſſe 130. annis. *Refert Toſtatus c.13. l. Geneſ. q.404.*

* Generatio Activa.

Dæmones vi propria non poſſunt concubitu fœminarum generare: cùm enim ſint corporis expertes, non poſſunt aliquam formam in materiam vi ſua inducere. Poſſunt tamen corpore aſſumpto, fœminarum congreſſu, virtute ſeminis aliunde arrepti, humanam ſobolem procreare. Ita *S. Tho. in 2. diſt.8. q.1. a.4. Richard. in 2. diſt.9. q.1.*

Quòd autem ita aliquando cum fœminis concubuerint, graves

graves auctores teſtantur, & ſcribit *Sanctus Auguſtin.l.15. de* A *Civit. Dei, c.23.* Sylvanos, & Faunos, quos Incubos vocant, ſæpè improbos extitiſſe mulieribus, & appetiiſſe, ac perfeciſſe concubitum, ac quoſdam Dæmones, quos Galli vocant Duſios, hanc aſſiduè immunditiam & tentare, & efficere. Ita Auguſtinus. Legatur de hoc generandi modo, *Martin. Del-Rio l.2. diſquiſ. magic. q.25.* ubi multis argumentis eum fieri poſſe confirmat, exempla etiam, quæ hujus propoſiti magis ſunt, adducit. Ita enim ſcribit. Vetuſtas obtrudit ſuos Semideos, Hercules, Sarpedones, Tullos. Ut videre eſt apud *Arnobium l.5. cont. Gentes, Clement. Alexandrinum, Virgilium.* Idem de Homero Poeta refert Plutarchus ex Ariſtotele *l.3. Poeticæ*, & Politianus *præfatione in Homerum*, Anglia producit Merlinum vatem celebrem ita generatum, *ita Belluncenſ. l.21. ſpec. hiſtor.* Polydorus, & alii. Pannonia Hunnos ex Arlunis ſtrigibus natos, juxta Jornandum *de reb. Goth.* Clivienſium ſtemma huc refert *Gelinandus l.41. apud Belluacenſ.l.3. c.27.* Xacam ſuum Japones talem eſſe voluerunt. Neque deſunt, qui Lutherum ita natum voluerunt. Ut *Fontan. in hiſt. ſacra de ſtat. religion.* Et ante annos paucos in Brabantiæ primario oppido, ſupplicio affecta eſt mulier, B quod cum Dæmone rem habuiſſet, & ex eo peperiſſet, ac plures Scriptores hujus rei veritatem confirmant, quos allegat idem *Del-Rio* loco citato.

Non idcircò tamen, qui ita naſcuntur, filii Dæmonum cenſendi erunt, ſed illius à quo ſemen acceptum eſt: cùm Dæmones vi ſua generare non poſſint. Videat lector eruditam ſuper hac re diſputationem *in Comment. Coll. Conimbric. in l. Ariſtot. de Generat. & Corrupt. l.1. q.10. c.4.*

* Numerus.

Sunt, qui probabiliter ſentiunt, tertiam partem Angelorum cecidiſſe è cœlo, ab beatitudine excidiſſe, permoti viſione illa Apoſtoli Joannis *c.12. Apocalyp.* ubi dicit: Draconem illum rufum, per quem accipiunt Dæmonum Principem Luciferum; traxiſſe tertiam partem ſtellarum de cœlo, & miſiſſe in terram. Quamvis hunc locum alii aliter exponant, & per tertiam partem uſitata phraſi intelligant magnam, & notabilem partem. Sic ut numerus eorum, qui ceciderunt, incertus nobis habeatur: eſſe tamen magnum, & innumerabilem: plenus eſt enim aer iſte terræ vicinus Dæmonibus, ſic ut ſi cor- C pora gererent, ſolem in meridie obſcurarent. De quo audiatur *Sanctus Hieronymus in comm. ad c.6. Epiſt. ad Epheſios.* Hæc, inquit, omnium Doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui cœlum, & terram medius dividens inane vocatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus. Cui ſententiæ, Beati Athanaſii teſtimonium in B. Antonii vita, conſentit. Ut qui mundum repletum nequiſſimis iſtis Spiritibus vidit.

* Nomina, Ordo, Et Differentiæ. In Genere.

Ut Dæmonum variæ ſunt operationes, ſic etiam varia eorumdem ſunt genera. Quædam enim à loco deſumuntur, quos Pſellus *l. de Dæmonum natura*, in ſex dividit claſſes, ut teſtatur etiam *Del-Rio in ſuis Diſquiſit. l.2. q.27. ſect.2.* verba Pſelli adſcribam.

Michael Pſellus ex Marci impoſturæ magicæ peritiſſimi traditionibus hoc totum egregiè recenſuit, Baſiliumque, & Paulum viros doctrina, & morum ſanctitate clariſſimos advocavit, *in hiſtoria Dæmonum.* Ad hunc igitur modum di- D verſam eorum naturam, atque poteſtatem retulit. Primum, inquit, Dæmonum genus igneum cenſetur, quod in ſublimiori aere pervagari ſolitum eſt, ut Marcus dicebat, qui illud voce barbara *Leliureo* appellabat. Secundum genus, quo in proximo aere, ac nobis propinquo obvolat, quod etiamnum à plériſque *aereum* nuncupatur. Tertium porrò *terreum*, quod in terræ ipſius regionibus verſatur: ex quo multiplici ratione, atque inſidiis terrenis animantibus inſidiatur. Quartum *aquatile*, & maritimum dicitur, quod humoribus ſe immergit, undivagum ſcilicet, ac in plauſtribus habitans, ut multos in aquis malè afficiat, æſtuſque, ac tempeſtates in mari excitet, ac navigia ipſa cum hominibus prorſus demergat, atque obruat. His adiicitur quintum genus, quod appellat *ſubterraneum*, quando & ipſis terræ viſceribus incluſos Dæmones, atque abditos tradit: unde motus terræ, fundamentorum ruinæ, ac ventorum colliſiones oriuntur. Præcipuè autem infeſtari hoc Dæmonum genere ſcribit eos homines, qui aut in puteis effodiendis verſantur, aut in metallis perſcrutandis. Sextum, & ultimum, quod omnem quidem lucem refugit, *tenebroſumque* idcircò vocitat, quoniam in tenebris aſſiduè E teneatur. Mitto nunc, quibus potiſſimum inſidiis, cum quo aſtu ſcripſerit eos decipere, atque allicere humanum genus. Conſtat enim (ut eſt author etiam Auguſtinus) omnes ferè Dæmones hoc ingenio, & natura eſſe, ut Deum pariter oderint, & hominibus maximè adverſentur.

Quoad ordinem verò, non eſt dubium, quin Dæmones inferiores ſuperioribus ſubiacent, & actiones illorum illis ſubiiciantur. Unde quando ſuperior præcipit inferiori eſſe in aliquo loco, quod facit manifeſtando conceptus ſuos, inferior tum operetur, immò naturali inclinatione neceſſitetur operari: quod dicitur alligari certo loco. Ea nequitia enim inter ſe conveniunt ad homines damnandos. Unde & experientia conſtat, eos nonnunquam alligari annulis, aut aliis rebus, & obedire iis, qui illos geſtaverint, ac dicuntur *Familiares.*

* In Specie.

Meminit *Zoroaſtres in magicis* de ſubterraneis locis ſolitos exire canes indutos corpus fictum non autem verùm, additque juxta Gomeſii explicationem, ſolere iis apparere, qui vitæ F relicta pravitate religioſo inſtituto ſe dedunt. Quomodo S. Antonio eveniſſe, ſcribit Sanctus Athanaſius. Item B. Simeoni Trevirenſi, Abbas Everebinus, *apud Surium 1. Junii.*

In vita quoque Sancti Norberti Præmonſtratenſium fundatoris legimus eum à Dæmone vexatum in exordio ſui ordinis. *Surius 9. Junii.*

Etiam ſub initia Societatis Jeſu, Dæmones variis figuris ſe exhibuiſſe, ut progreſſum retardarent tam piæ inſtitutionis, teſtatur *Del-Rio, loco allegato.*

Apparuere olim formis pluribus, unde apud Poetas decantati Manes, Lemures, Genii, Larvæ, Pluto, Charon, Cerberus, Fauni, Satyri. Dicebantur etiam quidam Alaſtores, quaſi truculenti, fortaſſis eſt Alaſtor, ille exterminator, de *quo in Apocal. c.9.*

Eſt & *dæmonium meridianum*, cujus meminit *David Pſal. 30.* quod verſabatur in deſerto, quod ad meridiem erat Hebræis, juxta ſententiam *Martini Del-Rio*, & aliquorum. Vocat Pſellus hoc genus dæmonii *ſolare*. Sanè *Aſmodæum* luxuriæ, & fornicationis ſpiritum, ligarat Raphael Angelus in deſerto. Etiam Chriſtus tentatur in deſerto. Ita & ventus, qui diruit domum Job, in meridie venit à deſerto. G

In Ruſſia Orientali, ſolitum in meredie obambulare dæmonem ruri in forma viduæ plorantis, ac brachia conterere illis, qui non ſtatim eum venerarentur proni in terram, teſtis eſt *Pet. Greg. de Republica l.12. c.10.* Alioquin ſimilia ſpectra in locis infidelium, aut ſibi fidei ſcintilla lumen ſuum primùm incipit diffundere, quotidiè apparere, notum eſt ex veterum hiſtoriis. Seneca in Oepido dicit, graſſante peſte diurno tempore viſa.

Vaga per lucos ſimulacra virum, majora viro.

Sunt & nocturni, Lucifugæ, qui ob id tenebrarum Principes vocantur, quorum Princeps eſt ſuccuborum Dæmonum, Hebræis *Lilith.1.* apparitio nocturna, appellatus, veteres verò Pana principem horum conſtituebant. Sunt alii *famulantes*, & *metallici* dæmones in fodinis.

Plura his affinia videat lector apud memoratum *Del-Rio.* ſuprà.

Item *requiratur Titulus de ſpectris.*

Nota quoque apud veteres Ethnicos diſtinctionem Dæmonum, in bonos, & malos: quomodo apud Græcos reperitur, Dæmonium Socratis. Unde & Athenienſes, Divo Paulo a- H pud eos prædicante, dicebant: videtur novorum dæmoniorum annuntiator eſſe, quia Jeſum, & reſurrectionem prædicabat. Platonici verò Dæmones diſtinguebant in *Cælodæmones, Catadæmones, Cacodæmones*, priores duos bonos, tertium genus malum aſſerebant. Primos quidem dicebant Deo aſſiſtere, alios rebus noſtris adeſſe, tertios nocere, ac impuros Spiritus eſſe.

Ab Oſea peculiariter commemoratur, Spiritus quidam fornicationis *cap.4.* à quo etiam Eccleſia in Litaniis poſtulat liberari, ac talem aliquem eſſe teſtatus fuit ipſe Diabolus *in vita Sancti Antonii*, apud Athanaſium. De illo intelligitur illud Job: cujus virtus in lumbis, & umbilico, ac à Chriſto dicitur *Matth.12.* ambulare per loca aquoſa, nec invenire requiem in aridis.

Caſſianus meminit ſpirituum gaſtrimargiæ, fornicationis, phylargyriæ, iræ, acediæ, xenodoxiæ, ſuperbiæ. *Collat. 25. c.5. Albertus in capite 3. Lucæ, & Magiſter ſentent.2. diſt.6.*

recen-

recenſet ſeptem diſtincta nomina, juxta ſeptem vitia capita- A lia: ac de ſingulis ſingulos dæmones tentare, Anaſtaſius Nicenus, Bernardus, & alii ſentiunt, quod etiam deſignant ſeptem dæmonia rejecta à Magdalena, ut exponit *Theophylactus in Lucam c.8.*

Et quamvis aliqua ratione hæc vera ſint, tamen omnes dicuntur ſpiritus immundi: cùm omne peccatum, ad quod impellunt, ſit immunditia, ſoliſque mundis, & non inquinatis pateant portæ cœlorum. Atque hinc deſumptum eſt nomen *Beelzebub*, hoc eſt, Dei muſcarum, aut ut dicunt LXX. Interp. *Muſca Deus*. Eſt enim muſca, ait Hieronym. *in c.9. Matth.* animal ſpurcum, exterminans ſuavitatem olei. Idem poteſt dici de nomine *Behemoth*, quod Beſtias ſignificat, & Diabolus variis beſtiarum nominibus honoratur, ut notavit *Caſſian. collat.7.c.12.* Sic & *Beelphegor* idem eſt, quod *Deus cadaveris*. *Leviathan, draco magnus plenus veneno*. *Aſmodæus* vocatur apud Tobiam *malum dæmonium*: eumque D. Proſper appellat *nequiſſimum*: immò Regem dicunt latronum infernalium alii. Erat certè Rex omnium ſpirituum immundorum, qui Mediam, vicinaſque Provincias infeſtabant, item omnium Geniorum, qui ad libidinem incendebant, Princeps. E quorum numero B erat immundus ille ſpiritus, quem Cyprianus adhuc magus immittebat in S. Juſtinam virginem.

Talis erat ille, quem ad virginem aliam expugnandam Gazenſis adoleſcens, magicis artibus ſub limen domus religarat, qui rogatus à S. Hilarione, cur in adoleſcentem non ſubintraſſet? reſpondebat: quia jam intra ſe habebat collegam meum, amoris dæmonem: teſtatur *S. Hieronym. in Hilarione*.

Refertur etiam in vita S. Baſilii, de quodam alio, qui velut furorem, & inſaniam pudiciſſimæ virgini excitaverat: & videat *Lector B. Athanaſ. in vita S. Antonii*.

Igitur Aſmodæus ſpurcorum dæmonum Princeps, nomen accepit ab Eſch, & Modach, quaſi ignem metiens. Scilicet ignem concupiſcentiæ, diligenter notando, quàm ſit ea impura, & inſatiabilis, quamvis melius alii eum vaſtatorem nominent, *Aſchamad*, quod eſt perdere, & vaſtare.

Quoad ordinem verò inter Dæmones, de quo in generali diximus; non eſt dubium etiam in particulari quemdam obſervari, ut varii inter eos ſint Principes, quomodo hic Aſmodęus Rex Medorum, & dicit ſcriptura de Principe Regni Perſarum, qui reſtitit Angelo Michaeli. Phariſæi quoque Beelzebub vocabant Principem Dæmoniorum, quin Chriſtus con- C firmat *Matth.25.* dicens: ignem æternum paratum Diabolo, & Angelis ejus. Rationem ſumit S. Thomas ex ipſorum natura, qua ſunt alii aliis præſtantiores: ideòque, & quorundam actiones aliorum actionibus præſident, cùm hæ naturam ſequantur. Sunt, qui volunt Dæmonum ordines eſſe novem, ex eo quod ſentiant, ex omnibus Angelorum ordinibus quoſdam eſſe præcipitatos, & degeneraſſe in dæmones.

Ordinem interim aliquem eſſe inter illos, docet viſio illius Eremitæ, quod refert *Caſſianus collat.8.c.16.* qui viderat innumerabilem dæmonum catervam, & in ea principem aliis teteriorem, qui confidens ſingulorum acta excutiebat.

*Apud Lactantium l.2. inſtit. cap.*14. Mercurius Triſmegiſtus Dæmonarcham, qui Diabolorum princeps ſit, nominat. *D. Hieronym. in c.3. Abacuc*, traditionem ait Hebræorum eſſe, Dæmonem quemdam inter alios Principatum tenere, qui propter velocitatem dicitur *Reſcheph*: vel ob maledictionem, poſtquam Evam tentaſſet. At S. Chryſoſtom. *hom. de Adam, & Eva*, *Sathaelem* eum appellat, qui Evam ſeduxit.

Convincitur denique hic Principatus, quod magi, ut teſtatur Niphus, ſoleant Dæmones excantare in virtute Principis D ipſorum. Et frequenter unus alterum pellat, aut impediat, qua de re memorabilia exempla extant apud *Mart. Del-Rio, in in diſquiſit. magicis, lib.2. & alibi*.

* Crudelitas, Et Nequitia Adversus Homines.
Quære. Tit. de ſpectris.

Dæmones, ſeu maligni ſpiritus effuſo ſanguine gaudent, turpibuſque, & obſcœnis verbis. Item pharmaca, philtraque adminiſtrant: ad libidinem, vitium, flagitium hortantur, Deoſque, & Deum ipſum ſummum his gaudere ſuadent. Denique defunctorum animas ſimulant, & Deos ipſos mentiuntur. *Porphyr. lib.2. de Abſtin. & lib.2. de Sacrificio.*

Simulant ſe Deos eſſe, quantum poſſunt, id eſt, angelos lucis: & ſenſus, phantaſiamque vanis prodigiis ſtupefaciunt, & perſtringunt: quin & quidam apud eos ſummus, ſummique Dei loco haberi cupit. Interim prædicunt tantùm ex conjecturis, & lubenter fallunt omnes, & mentiuntur, & levibus de rebus irritantur, levioribus rurſum placantur. Sed, inquit, futiles, & vanos neſcio quos philoſophos, & poetas de- E ceperunt primùm, demumque eorum miniſterio apud ignarum vulgus perfecerunt, ut dii crederentur. *Idem Prophyr. ad Anebonem Ægypt.*

Placantur donis, & provocantur injuriis, ceremoniis delectantur, & omiſſis excandeſcunt, præſident auguriis, auſpiciis, oraculis, magorum miraculis: in ſumma ſunt genere animalia, animo paſſiva, mente rationalia, corpore aerea, tempore immortalia. *Apud. Auguſt. de civit. Dei.*

De Sathanæ adverſus hominem crudelitate.

Sævitiem horrendam Sathanæ cui noſſe licebit,
Quoque ſuos tractet perfidus ille modo.
Is ſibi proponat dira feritate Tyrannum,
Atque hominis præter qui nihil ora gerat.
Namque cadaveribus velut hic, quos Marte ſubegit,
Alligat, ut miſeris ſit mora longa necis.
Sic atri quoque rex Erebi, quos arripit, ad res
Fluxas, & fragili ſorte, ligare ſolet.

Quæ Diaboli adverſum nos odii cauſa ſit.

Dic mihi cur tantis odiis nos perfidus hoſtis
Exagitat, bellis tam gravibuſque petit? F
Cauſam odii, tantique cupis cognoſcere belli?
Hoc odio ſummi numinis ipſe facit.
Exitium in noſtri generis ruit impete cæco,
Quod nequeat ſupero bella movere patri.
Ut ſi quis Regem nequeat cùm lædere, Regis
Arreptam ſtatuam dente, manuque petat.

Diabolum ſtatim ut virtus aliqua in nobis oritur, eam extinguere conari.

Semina cùm quædam Chriſtus tibi mittit ab alto,
Hæc tibi ne rapiat malus ab ore, cave.
Pervigil excubias agito, nam pervigil hoſtis
Excubat, ut rapiat munera miſſa tibi.
Ut genuiſſe marem te perſpicit, illicò currit,
Ut necet hunc, Pharii gens truculenta ducis.
Natus ut eſt in te Chriſtus, rex impius ipſum
Protinus horrenda tollere morte cupit.

Cavendum eſſe, ne aditum ad nos Sathanæ præbeamus.

Eva parens, quoniam tua mens abſceſſerat, angui
Aures peſtifero cùm patuere tuæ?
Quis furor, ut vetita legeret ex arbore pomum,
Quod generi invexit tam mala multa tuo? G
Vos Evæ ſoboles, vos Evæ audite nepotes,
Quæ fuit, & vobis, & mihi cauſa necis.
Angui aditus omnes præcludite: namque parenti
Obfuit huic facilem quod dedit ipſa fidem.

Diabolum callidè nobis fluxa bona offerre, ut nos in ſervitutem coniiciat.

Obtulit Iſacidis Pharius bona multa tyrannus,
Servili at tandem colla dedere jugo.
Obtulit his etiam Chaldæi commoda regni
Rabſaces clauſos obſidione tenens.
At ſub promiſſis id agebat callidus, omnes
Regis ut Aſſyrii ſubderet imperio.
Sic quoque ſervitio quo nos premat, & bona cæli
Eripiat, fragiles obiicit hoſtis opes

—— *Jacob. Billius in Antholog. S.*

* Versutiæ, Et Fraudes Variæ.
Exempla hiſtorica.

Quodam tempore *B. Dominicus* nocte vigilans, & muros Hieruſalem cuſtodiens, vidit eum, *Qui circuit, tanquam leo rugiens, quærens quem devoret*, per omnia monaſterii H loca pervagantem, dixitque ad eum: Quid ita hic circumis cruenta beſtia; Ille reſpondit: Propter lucrum, quod hic facio. Ait ei vir ſanctus: Ecquid lucraris in dormitorio? Reſpondit dæmon: Somnum neceſſarium eis aufero, quietem interpellando: efficioque, ut cunctabundi ſurgant, pigritia eos retinente: hortorque, ut à divinis officiis ſe ſubducant. Præterеà vero ſi mihi id permittatur, nocturnas corporis inquinationes, & libidinoſos motus in dormientibus excito. Inde vir Dei de templo interrogavit, quid in tam ſancto lucraretur loco. Reſpondit ille: Id ago, ut tardè huc veniant, citò hinc recedant, ſuique immemores ſint. De refectorio ſciſcitanti viro Beato ait. Hic locus totus eſt meus. Hic exiſtit riſus, hic vani referuntur rumores, & verba inania proferuntur. Poſtremò ad locum Capitularem à beato patre ductus, cum horrore refugit: Iſte, inquiens, locus mihi tartareus eſt. Si quid enim alibi lucri feci, ejus hic facio jacturam. Hic namque admonentur fratres, hic confitentur, hic accuſantur, hic verbe-

rantur, hic abſoluuntur. Qua cauſa locum hunc præ A cæteris abominor, planèque deteſtor. Ita miſer ille, cogente illum ſancto viro altiſſimi virtute, malitiæ ſuæ detexit fraudes, ut videant juſti, & illum irrideant, ſibique à laqueis ejus caveant, ne irriti capiantur. *Refertur in vita* 8. *Dominici. S. Auroultius in Catechiſmo hiſtoriali.*

Maligni ſpiritus nequitia hoc exemplo magis eluceſcit: Quidam, *Malchus* nomine, cultui Sanctorum admodùm addictus, in regionem longinquam profecturus, uxorem Deo, & ſanctis Coſmæ, & Damiano commendavit: eique pro ſigno dixit: Cùm voluerit Deus, mittam, & accerſam te. Poſt hæc profectus eſt iter ſuum, & uxor ejus domi reſedit. Interjectis autem paucis diebus, ſciens diabolus ſignum, quod maritus dederat, transfiguravit ſe in hominem, & dixit uxori: Ecce maritus tuus ab illa civitate direxit me, ut adducam te ad illum. Cui illa, nolens ire, reſpondit: Signum quidem agnoſco, ſed non poſſum hoc facere, quoniam ſanctis Coſmæ, & Damiano commendavit me. Sed ſi vis ut veniam tecum, accede, & cornu altaris tene, & jura te nihil malè facturum mihi, ut credam tibi. Tunc juravit diabolus, dicens: Per virtutem ſanctorum Coſmæ, & Damiani, nihil mali fa- B ciam tibi, ſed incolumem marito tuo te repræſentabo. His dictis ſecuta eſt eum. Et cùm veniſſent in quendam locum ſecretum, voluit eam de jumento præcipitare, ut interficeret. Illa verò elevatis ad cælum oculis voce magna clamavit: Deus ſanctorum Coſmæ, & Damiani adjuva me, vobis enim credidi, & ſecuta ſum eum: Feſtinate in adjutorium meum, ut liberetis me de manu nequiſſimi diaboli. Statim apparuerunt ei ſancti in habitu equitum cum multitudine albatorum. Princeps autem iniquitatis, hoc viſo, præcipitem ſe dedit, & nuſquam comparuit: Et impleta eſt ſcriptura, dicens: *Lacum aperuit, & effodit eum, & in verticem ipſius iniquitas deſcendit*. Sancti autem apprehendentes mulierem perduxerunt in domum ſuam, & dixerunt ei: Nos ſumus Coſmas, & Damianus, quorum ſacramento credidiſti, ideòque feſtinavimus venire ad auxilium tuum, *Ex actis SS. Coſmæ, & Damian. cap.11. Sur.17. Septemb.*

S. Nicolao Tolentinati conſuente aliquando tunicam, malignus hoſtis partem quandam clàm abſtulit: quam cùm vir ſanctus vellet ſuo loco aſſuere, & non inveniret, diù fruſtrà quærens tandem ait: Ecquis, bone Jeſu, ita mihi illudere potuit? Planè facit hoc ille, qui nec nominari dignus eſt. Mox C ad hæc ſancti viri dicta ſathan reſpondit: Verum dicis, domine: ſed ego rurſus illudam; attamen quando ſic te non poſſum ſuperare, aliter tecum agam. Vir ſanctus ait: Quiſnam es tu? Ille reſpondit: Ego Belial, datus tibi in ſtimulum carnis tuæ. Vir beatus dixit: *Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo*. Cùmque nollet nocturnas preces ſuas omittere, clauſo oſtio oratorii, (nam prævenerat fratrum vigilias) cogitavit ingredi in refectorium, ubi erat Crucifixi picta imago. Et ecce in ipſo oſtii limine ab illo Belial tam eſt atrociter eliſus, & in terram proſtratus, ut vix ſpiritus in ipſo remaneret. Tamen confirmat ſeſe, & in nomine Crucifixi ſurgens, vult cœptum iter proſequi. Sed rurſus verberatur, & proſternitur. Cogitur tandem inde recedere, & inter eundum ad quendam angulum dirè alliditur: Deo autem ſic volente, auditur ſtrepitus dæmonum cum viro ſancto confligentium, excitatique fratres accurrunt: eliſum erigunt, & cùm pedibus conſiſtere non poſſet, ad pauperculum cubile deportant. Ubi confortatus à Chriſto protinus ſurgit, & baculo ſe ſuſtentans ſolitas abſolvit preces, & Chriſto Salvatori gratias, & laudes agit. *In ejus vita apud Sur. cap.8. Sep-* D *temb.10. tom.5.*

Cùm *Datius* Mediolanenſis urbis Epiſcopus cauſa fidei exactus ad Conſtantinopolitanam urbem pergeret, Corinthum devenit. Qui dum largam domum ad hoſpitandum quæreret, quæ comitatum illius ferre potuiſſet, & vix inveniret, aſpexit eminus domum congruentis magnitudinis, eamque ſibi præparari ad hoſpitandum juſſit. Cùmque ejuſdem loci incolæ dicerent, in ea hunc manere non poſſe, quia multis jam annis hanc diabolus inhabitaret, atque ideò vacua remanſiſſet: vir venerabilis Datius reſpondit, dicens: Immò ideò hoſpitari in eadem domo debemus, ſi hanc ſpiritus malignus invaſit, & ab ea hominum habitationem repulit. In ea ſibi igitur præparari præcepit, ſecuruſque illa antiqui hoſtis certamina toleraturus intravit. Itaque intempeſtæ noctis ſilentio, cùm vir Dei quieſceret: antiquus hoſtis immenſis vocibus, magniſque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ſerpentum, porcorum ſtridores, & ſoricum. Tunc repentè Datius tot beſtiarum vocibus excitatus ſurrexit vehementer iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus E clamare, dicens: Bene tibi contingit, miſer; tu ille es, qui dixiſti: *Ponam ſedem meam ad aquilonem, & ero ſimilis altiſſimo*. Ecce per ſuperbiam tuam porcis, & ſoricibus ſimilis factus es, & qui imitari Deum indignè voluiſti, ecce ut dignus es, beſtias imitaris. Ad quam ejus vocem (ut ita dicam) dejectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit: an non erubuit, qui eamdem domum ad exhibenda monſtra, quæ conſueverat, ulterius non intravit? Sicque poſtmodùm fidelium habitaculum facta eſt: quia dum eam unus veraciter fidelis ingreſſus eſt, ab ea protinus mendax ſpiritus, atque infidelis abſceſſit. *Greg. lib.3. Dial. cap.4.*

Hujus quoque generis eſt illud, quod ſcribit *D. Hieron. in vita Hilarionis*. Ad Hilarionem quoque, inquit, animalia pertrahebantur; in quibus Bactrum Camelum enormis magnitudinis, qui jam multos obtriverat, triginta, & eò ampliùs viri ſolidiſſimis funibus ligatum cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, ſpumabat os, volubilis lingua turgebat, & ſuper omnem terrorem rugitus perſonabat immanis. Juſſit igitur eum dimitti ſenex: Statim verò & qui duxerant, & qui cum ſene erant, uſque ad unum omnes diffugere. Porrò F ille ſolus perrexit obviam, & ſermone Syro: Non me, inquit, terres, diabole, tanta mole corporis: & in vulpecula, & in Camelo unus, atque idem es. Et interim porrecta ſtabat manu. Ad quem dum furens, & quaſi eum devoratura bellua perveniſſet, ſtatim corruit, ſummiſſumque caput terræ coæquavit: mirantibus cunctis, qui aderant, poſt tantam ferociam, tantam ſubitò manſuetudinem. Docebat autem ſenex, hominum cauſa diabolum etiam jumenta corripere; & tanto eorum ardere odio, ut non ſolùm ipſos, ſed ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire. *Hieronym. in vita.*

Leopoldus Dux Auſtriæ multa damna Ludovico Bavaro Regi Romanorum inferens propter fratrem ſuum, quem dictus Ludovicus in bello ceperat, tandem idem Leopoldus obiit tali modo ut dicitur. Cùm quidam Necromanticus ſibi præſentatus fuiſſet, interrogavit eum, ſi poſſet ſibi diabolum demonſtrare propria perſona. At ille; Poſſum, inquit, ſed nullus homo ſine periculo corporis poteſt eum videre. Quo contumaciter reſpondente: Volo eum utique videre, & fidejuſſores ſtatuit Necromantico, ne in aliquo læderetur. Introductus eſt igitur in cœnaculum, ibi pariter reſidentes vident homi- G nem adſpectu nigrum, & deformem introeuntem: quo viſo dux dixit: Satis eſt, & ſtatim ad lectum deductus mortuus eſt. *In addit. ad Lambertum Schafnabrug. ad an.*1325.

DÆMONES, SPECTRA, LARVAS
Vincere, Repellere.

☞ *Dæmon variis modis homines circumvenire ſtudet: nullum eſt vitii genus, ad quod nos certis quibuſdam illecebris pelliciat: ad luxuriam, ad ambitionem, ad iram, ad mendacium. His reſiſtere ſingulis, ſingularum eſt virtutum. In genere verò hic de iis terriculamentis agimus, quibus hominem terret, cùm alias, tum præſertim orationis tempore: quæ omnium Chriſtianorum exercitationum difficillima eſt, ut Agathon abbas dicere ſolebat. Has tentationes per fidem conſtanter tolerat Chriſtianus, & tolerando propulſat: & proinde non magis ad tolerantiam, quàm ad propulſationem exempla hæc pertinent*, quæ Maruli libro ſecundo, capite tertio, & libro quinto, capite ſeptimo *huc con-* H *feremus*.

Religiosa Exempla.

Laudatur à Domino Job, cui ſathanas invidet, ſed nocere niſi permiſſus, non poteſt. Ubi verò poteſtatem nocendi accepit, juſtum hominem omnibus afficit ærumnis, poſtremo, & mala corporis valetudine terribiliter vexat. Sem fortis Dei athleta ſemper inconcuſſus perſtitit: quodque diabolus ad ejus animi integritatem evertendam machinatus fuerat, id illi ceſſit ad gloriam: & patientiæ virtute tanto eſt factus clarior, quanto calamitoſius oppreſſus. *Marulus l.5. cap.7. & Sabellicus lib.10. cap.3.*

Quem hominum omnino intentatum relinqueret ille, qui Dei filium Jeſum tentare non timuit: Cùm enim dubitaret an ipſe eſſet jejunus, & jam eſurientem ad gulæ vitium provocaret, dicens: Dic, ut lapides iſti panes fiant. Mox quem

quem conſtantem in jejunando cognovit, poſſe eum mentis elatione cadere credidit, qua ſibi jam ſanctus videretur; & ſupra pinnaculum templi conſtituto ait: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim; Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Cùmque etiam humilem eſſe deprehendiſſet, adhuc avaritia animum pulſat, oſtendenſque ei regna mundi, & gloriam eorum: Hæc omnia tibi dabo, inquit, ſi cadens adoraveris. Cùm autem, & hoc incaſſum ſuaſiſſet, jam omni vincendi ſpe amiſſa reliquit eum: & Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Angelico ergo miniſterio honorari dignus erit, qui diabolum vicerit, non tam per potentiam, quàm (Chriſti exemplo) per Scripturam. *Idem*.

D. Paulus Apoſtolus à ſathana verbera ſuſtinuit, neque hoc ſine Domini voluntate. Sed ne magnitudo revelationum, inquit, extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſathanæ, qui me colaphizet: Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Qui Apoſtolo gratiam dederat, dedit & ſtimulum. Nulla enim poteſt eſſe victoria, ubi nulla eſt pugna: Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit. Rogemus ergo Dominum, non ut ſubmoveat nobis tentatorem, ſed magis ut ſuppeditet vincendi facultatem. *Idem*.

Nathanael anachoreta, ſolitudinis pertæſus, cellam ſibi proximè pagum conſtituerat. Ibi dæmon forma ſupra modum fœda, terribilique ei apparens, ac flagellum manu concutiens, circumſtrepere ferociter cœpit, ut pavefactum inde abigeret: inſuper jactabundus, quod etiam prius habitaculum eum deſerere compuliſſet. Quod ut audivit Nathanael, ne qua in re de ſe gloriari diabolus poſſet, ad deſertum reverſus, ita illic poſteà habitavit, ut de cellulæ ſuæ ſepto annos ſeptem, & triginta pedem non extulerit. Sed rurſum ſathan fraude illum aggreditur: agaſonem ſimulat, & aſellum panibus oneratum agens, dum ſub onere lapſum attollere nititur, Nathanaelis opem inclamat. Suſpenſus ille reſtitit: charitas proximo auxilium ferre ſtimulabat, propoſiti ratio exire diſſuadebat. Dum autem quid facto opus eſſet, ſecum deliberat, venit in mentem, ne fortè id, quod cernebat, diaboli ad fallendum fabrica eſſet, & vocanti reſpondit: Si Chriſtianus es, Deum deprecare, & ipſe adjuvabit te: ſin Chriſti adverſarius, indignus es, cui ſuccurratur: His dictis viſio evanuit. *Marulus*. At diabolus viciſſim elenchum inferre poterat. Si Chriſti amicus es, fraterna charitate me adjuvabis: ſi inimicus, ejuſdem erga peccatores clementiam imitando mihi benefacies.

Antonium Alexandrum abbatem ad eremum pergentem dæmones primùm verberibus diſcidere. Semianimis refectus ad proximum vicum curandi gratia delatus eſt. Cùmque aliquantulum convaluiſſet, rurſum eodem ſe referri juſſit, iterùm verberari, cædique paratus, ſi ita Domini ferret voluntas, nec ulla unquam diaboli injuria propoſito deterrendus. Hac animi conſtantia armatum, cùm jam contingere nequiſſimi ſpiritus non auderent, monſtroſa diverſarum imaginum facie metum illi incutere conabantur: ferarum more in eum rugientes, ululanteſque; ac ſimul ſerpentum ſibilationibus perſtridentes, rictibus ringentes, dentibus infrendentes, torvo oculorum aſpectu ſcintillantes, & flammas ore, naribus, auribuſque perflantes, nulla pavoris omiſſa ſpecie, qui terrere illum poſſent. Cæterùm ubi fortiſſimum Chriſti militem neque ictus curare, neque tam horrendo, tetroque ſpectaculo quicquam commoveri vident: victos ſe confeſſi, confuſique diſceſſere. Ille ſerviendi Deo ſemel jam ſuſceptum votum, magno, conſtantique animo proſecutus eſt. *Marulus libro* 5. *capite* 7. *& Sabellicus libro* 10. *capite* 3. *ex Vincentii libro* 14. qui Athanaſium hujus rei auctorem facit.

Poſt hæc veterator ſpiritus, ne quid adhuc intentatum relinqueret, cogitationibus Antonii callidè ſeſe inſinuans, tanto ſolitudinis tædio animum ejus pulſavit, ut ille quid jam agere deberet dubius, ad Deum exclamaret, dicens: En ego, Domine Jeſu, cupio his in locis tibi famulari, & neſcio quò me invitum ſubinde rapit violenta mentis meæ evagatio. Hæc dicenti, angelus monachali habitu juxtà apparuiſſe dicitur: & cùm aliquandiu nunc genibus provolutus oraſſet, nunc ſurgens manibus fiſcellas texuiſſet: ad Antonium converſus dixiſſe: Ita & tu Antoni; Et hoc dicto ex oculis evanuiſſe. Tali ergo precum, laboriſque viciſſitudine deinceps uſus Antonius, diabolicæ molitionis tentamenta facilè vicit: & cùm minimè eſſet otioſus, minimùm in eum potuit inanis cogitatus diſtractio.

Idem dum verbera, terroreſque perferret, lucem divinitùs apparuiſſe ferunt, qua expavefacti dæmones diffugere. Antonium verò eo ſplendore recreatum erexiſſe ſe, & quaſi præſentem Dominum aſpiceret, dixiſſe: Ubi eras: Reſponſumque accepiſſe: Aderam, Antoni, ſed eventum pugnæ tuæ præſtolabar; quam quoniam imperterritus, immotuſque viriliter ſuſtinuiſti; manet te victoriæ tuæ indeficiens in cœlo triumphus, immarceſcibiliſque corona, præmiumque ſempiternum. *Idem*.

Macarius Alexandrinus abbas multùm à malis ſpiritibus infeſtatus eſt. Parem autem eorum terrori extitiſſe vel inde conſtat, quòd in gentilium ſepulcro nocte quadam amoto cippo decubare auſus ſit. Cùmque oſſa, ſuper quæ jacebat, in vocem prorupiſſent, manſit immotus. Vox autem erat alteri reſpondentis, venire ſe nunc non poſſe: quòd ejus, quem ſuper ſe habebat, pondere gravatus eſſet. Ad quem Macarius: Exi, atque ibi, ſi potes, inquit: ego hic pernoctabo. *Marullus ibidem, & Sabellicus lib.* 10. *capite* 3.

Aliàs etiam terribilis dæmon falcem ferream manu vibrans, ac percuſſuro ſimilis, eidem occurrit. Cùmque nec ſic eum terrere potuiſſet, ſuperatum ſe fateri cœpit: ſuperatum tamen non vigiliis, non jejuniis, cùm & ipſe dormiret, & comederet, ſed ſola animi ſemper ſe ſubmittentis humilitate. *Marullus*.

Iterùm illi apparuit medici ſpeciem præferens, multaſque vitreas ampullulas gerens: & quò pergeret interrogatus, quidve ſibi vaſcula illa vellent? Ad proximum monaſterium iter ſe habere, reſpondit, ut fratribus ſingulis offerret potiones: eoſque, qui hauſiſſent, ſibi obnoxios redderet. Non multò poſt Macarius inde revertentem conſpiciens, quid egiſſet, quæſivit: atque accepit, unum dumtaxat ex fratribus illis Theotiſcum nomine, ampullæ veneno delinitum: anxiuſque de fratris periculo, protinus monaſterium adit, Theotiſcum convenit, inimici in eum captiunculas detegit. Ille his auditis pavidus, quicquid mortiferum diabolo propinante guſtaverat, repentè corrigendo ſeſe, totum id evomere curavit. *Marulus*.

Multa expaveſcenda Hilarionem abbatem in ſolitudine prope Gazam Paleſtinæ viventem à ſathana in deſerto perpeſſum, *Hieronymus in ejus vita* tradit. Sæpè enim nocte intempeſta ab eo auditos infantum vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctus quaſi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rurſus variarum portenta vocum, & antè ſonitu, quàm aſpectu territus cedere. Denique ipſorum fronte crucis ſigno armata, ſollicitè circumſpicientem, ſplendente Luna vidiſſe currum directis equis ſuper ſe irruere. Cùmque inclamaſſet Jeſum, ante oculos ejus in terræ hiatum viſus eſt deſcendiſſe. Poſtremò quoties illi, inquit, nudæ mulieres cubanti, quoties eſurienti largiſſimæ apparuere dapes? interdum orantem lupus ululans, & vulpecula ganniens tranſiliit, pſallentique gladiatorum pugna ſpectaculum præbuit: & unus quaſi interfectus, & ante pedes ejus corruens, ſepulturam rogavit. Orabat ſemel fixo in terram capite, & ut natura fert hominum, abducta ab oratione mens, neſcio quid aliud cogitabat: inſiliit dorſo ejus feſtinus gladiator, & latera calcibus, cervicem flagello verberans; Eia, inquit, cur dormitas? cachinnanſque deſuper, ſi defeciſſet, an hordeum vellet accipere, ſciſcitabatur. Dixerat enim ille quandoque corpori ſuo iratus, quod ſe ad libidinem provocaret. Ego te, aſelle, jam non hordeo, ſed paleis alam, ne calcitres. *Idem ex D. Hieron.* vide ſupra de eadem.

Elphegus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cùm ab infidelibus in carcere teneretur, & à diabolo in angelum transformato eductus, multùm jam itineris unà cum illo emenſus eſſet: ambigere cœpit, reprobine, an boni angeli opera martyrium fugeret? Dumque id ſibi oſtendi Deum oraſſet, diabolus evanuit. Itaque ad carcerem reverſus coronam accepit martyrii. *Idem*.

Sozomenus narrat *lib.6. cap.*18. Apellem quendam monachum circa Achorim, in monaſteriis Ægypti, multa edidiſſe miracula: & aliquando cùm noctu operas fabriles feciſſet, ſpectrum dæmonis forma pulcræ, & exornatæ mulieris ei apparuiſſe, & ad libidinem incitaſſe. Sed illum candens ferrum ex camino arreptum, in faciem dæmoni impegiſſe, atq; ita ſpectrum illud fugiſſe, & ſtridore, & lamentatione ſuum dolorem teſtatum. *Ibidem*.

Ad

Ad Evagrium presbyterum, amborum quondam Macariorum diſcipulum, dum ſolitarius eremum incoleret, tres dæmones clericali habitu veniſſe conſtat: qui ſe diverſarum hæreſum eſſe ſimulantes, ſuum quiſque dogma probare nitebantur, ut illum aliquo eorum perverterent. Cæterùm Evagrius, cùm fidem catholicam adversùs quemlibet eorum acerrimè tueretur, ac defenderet: Deo adjuvante omnes facilè ſuperavit, ita ut confuſi repentè evaneſcerent: nihil aliud moliri in eum auſi, quem in fide tam firmum cognoverant. *Marul.*

Martino Turonensi epiſcopo dæmon aureo diademate, & purpureo ſuperbus indumento occurrens, regem ſe Chriſtum eſſe, & ad judicandum mundum deſcendiſſe aſſeverabat. At verò Martinus manſuetudinis Domini memor: Haud talem, inquit, venturum ſe pollicitus eſt Chriſtus, ſed cum omnibus paſſionis (quam pro nobis ſuſtinuit) ſignis, cum ſpinea corona, vulnerumque cicatricibus, & ipſo victoriæ ſuæ trophæo, cruce: cùm talis apparuerit, eum adveniſſe credam: alioquin hoc ab eo præceptum obſervabo: Si quis vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, aut illic, nolite credere. Immundus ſpiritus verbis veritatis victus diſparuit, nihil ibi ſuum relinquens præter ſui indicem, fœtorem. *Marul. ex Severo Sulpitio*.

Nicolaus quidam in ſancti Patricii ſpecum apud Hybernos ad purgatorii (ut ajunt) loca deſcendens, multa, ac varia dæmonum tentamenta, fraudes, iras, & errores unus ſuperavit. Nam quoties ad Dominum converſus dixit: Domine Jeſu Chriſte, fili Dei vivi, miſerere peccatoris, toties ab inſidiis liber evaſit: Brevis quidem oratio, ſed permultæ virtutis ſi fideliter, ſi ardenter, ſi humiliter exprimatur. *Marul. lib.5. cap.7.*

Darius epiſcopus Mediolanenſis, *vide Titulum ſuperiorem*.

Franciscus, cùm die quodam prolixiùs oraret, audivit clamantem: Franciſce, pœnitentibus ignoſcit Deus, non ſe tam pertinaci fatigatione conficientibus. Agnovit in verbis dolos, & ſicut cœperat, orando perſeveravit, atque etiam ad perferendos pro Chriſto labores magis exarſit. Nocte quadam dum precationi operam daret, ſuper tectum domus immaniter ſtrepere, atque horribiliter mugire dæmones cœperunt. At ille intrepidus exurgens: En adſum, inquit, nequiſſimi ſpiritus, venite, exercete in me, quicquid vobis permiſſum eſt. Quòd ſi corpus hoc verberibus affeceritis, quid aliud quàm vindicabitis me de adverſario meo? His dictis confuſi diſceſſerunt. Ille ad preces Deo perſolvendas rediit. Iterùm oranti, intimo medullarum titillatu cogitationem libidinis dæmon excitavit. Ille intermiſſa precatione repentè exurgens, violentum mentis motum dura corporis flagellatione repreſſit, venarumque caleſcentium pruritum ſemet in gelida nive nudum volutans extinxit. Hoc enim eſt genus illud dæmonii, quod non eiicitur, niſi per orationem, & jejunium. *Marul. lib.5 cap.7.*

Sulpicius Bituricenſis epiſcopus, dum nocturnis precibus incumberet, horrendos circa ſe ſtrepitus, voceſque terribiles audivit: neque tamen aut loco ceſſit, aut orare deſiit, donec ſedatus eſſet tumultus. Qui enim confidit in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur in æternum, par terrori erit, atque dicet: Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego ſperabo. *Marul. lib.2. cap.3.*

Maximus monachus (qui poſteà Rhegienſis epiſcopus fuit) cùm noctu ad litus proceſſiſſet, ut oraret (monaſterium enim non procul à mari erat) vidit navem applicuiſſe, à qua deſcendentes nautæ ipſum reverenter adierunt, atque laudibus extollere cœperunt, quòd ſcilicet fama ejus uſque ad Syriæ fines perveniſſet, quòdque multi eum videre deſiderarent: quòd denique ſi illò proficiſci vellet, ſaluti plurimis foret: & ſi modò ſecum ire diſponeret, ſe jam in rem paratos eſſe, pro lucro habituros, ſi talem virum vehere ſibi contigiſſet. Maximus poſitis in litore genibus, ſicuti propoſuerat, oravit. Et ſtatim averſi ſunt erubeſcentes, qui dixerant illi. Euge euge. *Ibidem*.

Launoniarico abbati Carnotenſi noctu oranti, lucernam ter à dæmonio extinctam fuiſſe ferunt, & ter ab angelo rurſum accenſam. Non enim paſſus eſt Dominus illum deriſum in tenebris derelinqui, qui orando ſerviebat luci. Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. *Idem*.

Leonardo Corbiacenſi monacho oranti, ſerpens à pedibus in ſinum uſque ſurſum versùs reptavit. Quem quidem ille uſque adeò nihil expavit, ut immobiliter permaneret, donec precum finem fecit. Quinetiam peractis precibus ultrò ſeſe peſtiferæ beſtiæ ingerebat, dicens, ne facere differret, quicquid faciendi facultatem adversùs ipſum à Domino accepiſſet. Sed illa ſicuti orantem non terruit, ſic etiam omnia pati paratum minimè læſit. *Idem*.

Romæ in Aventino, in templo S. Sabinæ, quod olim fuit Dianæ fanum, ſaxum nigrum rotundum pendet ab uno aræ latere, quo monachi dicunt diabolum petiiſſe S. Dominicum, Deo ſupplicantem: non læſiſſe tamen, adeò tremebant ei manus, & brachia.

Vulſtanus Vigornienſis epiſcopus cum diabolo luctari conſueverat, eumque non ſemel proſtravit. *Ranulphus lib.7.c.8. in Polychronico*.

Eadmundus, Cantuarienſis archiepiſcopus, cùm ad multam noctem pervigil, jam tandem ſomno ſurrepente ſupinus decubaret, ita grave pondus impoſitum ſibi ſenſit, ut experrectus movere ſe omninò non poſſet. Manum levare voluit ad ſignandum ſe crucis ſigno, & impeditus eſt. Excutere ſeſe totis viribus conatus, plus gravitatis addi ſibi cognovit, atque adeò ut vix jam ſufficeret ſuſtinere. Ubi autem ſpiritum ipſum, ut ſe dimitteret, per Chriſti ſanguinem adjuraſſet, ſtatim dimiſſus aſſurrexit, & ab eodem, à quo dimittebatur, didicit, nullum adjurationis genus magis timori eſſe dæmoniis *Marul.*

Cùm potentiſſimus rex Saracenorum Almanzor terras Chriſtianorum invaderet, Comes Caſtellæ Fernandus Gundiſalvi ei occurrit. Viſus eſt ingens draco in aere volitans, igneſque evomens, atque terribiles ululatus emittens. Cùm Chriſtianus exercitus non parum terreretur, Fernandus eos confortans, illa dæmonum eſſe præſtigia, ad terrendos, decipiendoſque fideles, dixit, & in Deo ſpem ponere juſſit. Commiſſo ſequenti die prælio, Saraceni victi fuere. *Rodericus Santius parte 3. hiſt. Hiſpan. cap.*21.

Theodora Alexandrina ſemel tantùm commiſſi adulterii conſcia, ſe jam indignam maritali thoro judicarat, & viro relicto, in monachorum cœtu, nulli quòd fœmina eſset cognita, ſub nomine Theodori latens commanebat, in multa vitæ auſteritate Deo ſerviens, ac peccatum ſuum lugens. Cæterùm diabolus, ut illam ad deſperationem impelleret, ei apparens, adulterii crimen exprobravit, fruſtràque illam fatigari dixit, eò quòd tam grande delictum veniam promereri non poſset. Ipſa verò nequaquam de miſericordia Dei diffidens, cùm ſe cruce ſignaſset, tam manifeſti mendacii aſſertorem evaneſcere ut fumum coegit. Rurſum ille ſumpta mariti ejus forma, blanditiis, aſsentationibuſque ipſam allicere cœpit, impenſiùs orans, vel potiùs urgens, ut domum rediret. At cùm nec ſic doli ſucceſſiſsent: ferocium eam belluarum imaginibus, ut à monaſterio diſcederet, terrere conatus eſt. Sed & hoc incaſsum. At illa Deo humiliter ſupplicando, talem quoque viſionem repulit. Non multò poſt dæmon magno comitatu, majeſtatem quandam præferens, ad illam venit: & cùm ab omnibus, qui circa eum erant, honoraretur, ipſam quoque ut ſe adoraret, juſſit: nolentem verò, & quod unus Deus adorandus eſset, dicentem flagellis verberavit. Cùmque illa ne verberibus quidem cederet, ipſe fremens, & indignans abiit, patientia victus fœminæ, conſtantiaque ſuperatus. Poſtremò, ut ſaltem vel ad avaritiæ, vel ad gulæ vitium incautam traheret, hic auri maſsam, illic caniſtrum variis dapibus plenum ei apparere fecit. Illa autem præſentiſſimi contra omnia tentamenta remedii memor, crucem deſignavit, & diaboli laqueus diſſipatus eſt. Igitur, quæ ſemel corruerat, ita ſe erexit, ut nullo deinde adverſarii conatu everti unquam potuerit. Qua die vita deceſſit, in viſu Abbati apparuit, ad cœleſtem thalamum glorioſè ſublata; tantoque ſplendoris fulgore radians, ut perſtringeret oculos intuentis. *Marulus lib.* 5. *capite* 7.

Pelagiam Antiochenam & divitiis, & genere, & impudicitia quondam nobilem fæminam fuiſse legimus, & (quod pejus eſt) in idololatriæ errore natam, atque adultam. Sed poſtquam ad Chriſtum fuit converſa, pauperem, humilem, pudicam, & omni inter fideles probitate præſtantem. Hanc ergo converſionis ſuæ initio, Mammonæ ſpiritus ad priſtinas revocare ſordes tali verſutiloquio tentavit, noctu illam adiens; Opes, inquit, quibus affluis, ò Pelagia, dii patrii, quorum ego nuncius ſum, tibi conceſsere: & tu nunc illis relictis, neſcio quem Chriſtum ſequeris. Illos tamen & crimen tibi remittere, ſi ad eorum cultum redieris; & hoc inſuper polliceri crede, tantùm priori opum & beneficio addituros,

turos, quantò magis ipſa nequeas optare. Facilè deprehendit A dolos mulier, quæ jam veras divitias Chriſtum eſſe noverat: & cùm crucis in pectore ſignum dexteræ manus ductu impreſſiſſet, ſufflavit in ſuaſorem impietatis: & tam facilè abegit, quàm ſolet pulverem ventus: tantique illius promiſſa fecit, ut continuò ea etiam, quæ habebat, cuncta indigentibus erogarit. *Ibidem.*

JULIANÆ virgini jam pœnis pro Chriſti nomine affectæ, & tantùm coronam martyrii in carcere expectanti, diabolus formam angeli gerens apparuit, atque dixit: Chriſtum jubere, ut illa potiùs diis gentilium ſacrificaret, quàm in cruciatibus deficeret. Obſtupuit Juliana tali nuncio: mox divinitùs inſpirata, manu illum apprehendens, vinculis conſtrinxit, verberibuſque affecit: volente Domino, ut ſceleſtus Belial ab eadem, cui diſſuadere auſus fuerat ſuppliciorum pro Chriſto patientiam, ſupplicia ipſe perferret. *Idem, & Sab. l.10. cap.3.*

MARGARITAM virginem poſt tormenta carceri mancipatam, terribilis draco lætè patienti faucium hiatus ferociter invadens deglutierat. Verùm ubi illa ſignum crucis edidiſſet, draco crepuiſſe viſus eſt, quaque crepuerat, virginem vivam, B ſanamque evomuiſſe, ſicuti evomitus à piſce Jonas Propheta legitur. Iterùm eidem in ſpecie humana apparens imponere tentavit. At illa per capillos apprehenſum humi alliſit, & cùm quæreret, cur tam infenſus, infeſtuſque Chriſti cultoribus eſſet? accepit, Cacodæmonum proprium, ac peculiare eſſe, invidiæ, odiique facibus accendi erga eos, qui ſalvandi ſunt: cùm pati non poſſint, ut ad cœlum, unde ipſi dejecti ſunt, homines trahantur. Sub hæc dimiſſus evanuit: illa ad martyrii palmam gaudens pervenit, tam diaboli victrix, quàm tyranni. *Idem.*

EUPHRASIA Romana, virgo nobilis genere, ſed ſtirpis nobilitatem mentis humilitate ſuperans, cùm ſe in monaſterio apud Thebaidem incluſiſſet, ne ſervilia quidem opera à ſe aliena putabat. Invidens virtuti ejus diabolus, ut perſecutionis moleſtia propoſitum turbaret: ad hauriendam aquam ſe inclinantem in puteum præcipitavit. Sed ipſa inde ſana à ſororibus educta, crebriùs aquatum ire cœpit. Iterùm illam, dum coquinam faceret, in bullientem ollam impinxit: ſed ipſa nihil læſa, cœptum opus peregit. Rurſum ligna findentem in latus impulit, & ipſa obliquato ſecuris ictu pedem ſauciavit: brevi tamen curata, multò promptior ad ſubeun- C dos labores acceſſit. Ita victis tandem tentationibus, etiam miraculorum operatione inſignis fuit. *Idem.*

ETHNICA EXEMPLA.

☞ *Jejunio, & orationibus dæmones vinci, & eiici, Chriſtus teſtatur: eos videlicet, qui nobis, quatenus Chriſtiani ſumus, inſidiantur, ut nos à vera religione ad idololatriam abducant. At eos, qui vanis terriculamentis homines infeſtare ſolent (quales apud Ethnicos plurimi ſunt viſi) etiam philoſophica fortitudine, & magnanimitate edomari, atque vinci poſſe, exemplis quorundam oſtendemus.*

ULYSSEM ajunt errantem, everſo jam Ilio, tempeſtatibus huc illuc ad alias Italicæ, ac Siciliæ urbes, Temeſam etiam appuliſse: ibi de navalibus ſociis ejus unum virgine per unum violata, ab oppidanis contumeliam vindicantibus lapidibus obrutum. Ulyſsem quidem nulla factum ulciſcendi inita ratione profectum, perempti verò ſocii manes finem nullum D ſæviendi in cujuslibet ætatis homines feciſse, priuſquam cogitantes patriam relinquere Temeſsenſes, quo eam peſtem effugerent, Apollinis reſponſo heroem placare juſſi ſunt, & conſecrato ei ſolo templum excitare. Devovere ei præterea quotannis virginum unam, quæ ipſis formoſiſſima viſa eſset. Quod cùm illi ex oraculo facere pergerent, nihil omnino gravius dehinc paſſi ſunt. Fortè verò cùm veniſset Euthymus Locrenſis, athleta robuſtiſſimus Aſtyclis F. Temeſsam, eo ipſo tempore, quo ſolenne ſacrum fiebat: re tota cognita, ſe intromitti in templum poſtulavit. Ibi virginem dæmoni recens expoſitam conſpicatus, primò miſericordia commotus, deinde etiam amore incenſus: cùm puella quidem, ſi ab eo ſervata eſset, ſe in ejus manum conventuram fidem dediſset: armis captis cum genio (qui colore vehementer atro, & ſpecie formidabili, lupi pelle amictus fuiſse dicitur) congreſsus illum victum mœnibus, & agro excedere, & in mare ſe demergere coegit. Fuiſse memorant, civitate univerſa fœdiſſima calamitate liberata, maximè illuſtres Euthymi nuptias. De eodem verò Euthymo, & illud ex antiquitatis monimentis accepimus, longiſſimam E eum ætatem vivendo impleſse, neque omnino mortuum, ſed alio quodam modo hominem eſse deſiiſse. *Pauſanias libro 6.*

Admirationem ædes illæ Athenis meruere, de quibus in Epiſtolis *Plinius* ſcribit. In quibus nocte umbra ingens, ac macilenta, catenarum ſtridore, ædes ipſa, quibus vincta videbatur, replebat, propter quam rem cùm habitare eas nullus auderet, ad exiguum precium locatio redacta erat. Itaque cùm Athenodorus philoſophus Athenas profectus allectus precii vilitate plus, quàm terrere ejuſmodi poſse phantaſma, domum conduxit: perſpectaque audacter umbra eam per ædes ſecutus, ubi vidit in quo apparere deſiverat, humum effodit, illicque corpus catenatum umbræ ſimile, quæ apparuerat, invenit: ſublatoque cadavere, horrore ædes liberavit. *Fulg. lib.1. cap.6.*

Lacon quidam noctu præteriens monumentum, cùm videret ſpectrum, accurrit lancea trajecturus: Quò fugis, inquiens, anima bis moritura. *Plut. in Laconicis.*

M. BRUTUS Cæſaris interfector, tranſportaturus ex Abido in oppoſitam continentem exercitum, quieſcebat nocte, F ut aſsueverat, in tabernaculo, in ſomnis adhuc, ut de belli eventu ſollicitus: ſi quidem vir hic inter omnes Imperatores perhibetur minimè ſomno indulſiſse, naturaque fuiſse vigilantiſſimus. Is ſtrepitum ſentire ad fores imaginatus eſt. Intentis autem ad lucernæ lumen jam emarceſcentis oculis ſpeciem, vidit horribilem viri immani magnitudine diroque aſpectu. Perculſus primùm, ubi nihil id tentantem conſpexit, neque vocem mittentem, tantùm cubili ſuo tacitum aſſiſtentem, rogavit, quiſnam eſſet? Reſpondit ei ſpectrum: Tuus, Brute, malus genius: in Philippis me videbis. Tunc forti animo Brutus: Videbo, inquit. Mox genius ille ex oculis abiit. Poſtmodum cum in Philippis infeſtum exercitum contra Antonium, & Cæſarem haberet: prima acie victor oppoſitum ſibi cornu profligavit, atque inſtans effuſis caſtra Cæſaris diripuit, inſtante pugna, idem ſe ei noctu obtulit ſpectrum, neque eſt eum allocutum: verùm intelligens Brutus fatum, in periculum demiſit ſe. Non cecidit tamen in prælio: ſed pulſis ſuis refugit ad rupem quandam, admotoque pectori ſtricto gladio ſimulque amico quodam, ut fama eſt, ictum juvante, exanimatus eſt. *Plut. in Cæſare.* G

Suenonum regis Hadingi conjux Thorilda, cùm privignos ſuos Regnerum, & Thoraldum, quorum infinito odio tenebatur, ut variis periculorum generibus implicaret, regio tandem pecori umbrarum perpetuis larvis circumfuſos præfeciſset: Hadingi Danorum regis filia Suamhuita ſororibus in famulitium ſumptis, Sveciam petit, Regnerum enſe magico donat: mox dimiſſis comitibus adverſùm larvas per noctem dimicans, luce reddita varias larvarum formas, & inuſitata ſpecierum figmenta paſſim arvis incidiſse cognoſcit: inter quas & ipſius Thorildæ crebris vulneribus conciſa effigies viſebatur: quas in ſtruem congeſtas ingenti pyra accenſa cremavit, ne teter obſcœnorum cadaverum odor aerem inficeret. Quo facto, Regnero Sveciæ regnum, ſibi verò Regneri thorum conciliavit. *Saxo lib.2.*

HOTHERUS Svecorum rex, contra Balderum Othini magi filium prælio navali confligebat. Hominibus adverſùm deos certatum crederes. Nam Baldero Othinus, ac Thoro ſacraque deorum agmina propugnabant. At Hotherus tunica ferrum ſpernente ſuccinctus (quam à Nymphis acceperat) confertiſſimos deorum (ſic magnos vocabant) H cuneos irrumpebat. Sed & Thoro inuſitato clavæ libratu cuncta clypeorum obſtacula lacerabat. Nullum erat armaturæ genus, quod impellenti non cederet. At Hotherus inclinata ſuorum acie celeriùs advolans, clavam præciſo manubrio inutilem reddidit: Itaque divi ſubitam dedere fugam. *Idem lib.3.*

* DÆMONIS IMBECILLITAS, ET FUGA.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Petivit Sathan à Domino, ut Job tangeretur, in rebus, liberis, & corpore. Job cap.1.

Ita alligata eſt dæmonum vis, ut ne in porcos quidem, niſi permittente Deo, invadere potuerint, Matthæum 8. Marc.5.

Ait Dominus Simoni Petro, inſtante paſſione ſua: A *Ecce ſathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem rogavi pro te, &c.* Luc.21.22.

Exempla Hiſtorica.

Ad *Ambroſium* Epiſcopum Mediolanenſem inductos eſſe dæmones, teſtatur Paulinus. Quod tamen non priùs fuit cognitum, quàm poſt Juſtinæ Imperatricis mortem angelo extorquente à ſonte ſicario perpetrati delicti confeſſionem. Res geſta ita ab authore deſcribitur. Mortua verò Juſtina, quidam Aruſpex, Innocentius nomine, non re, in cauſa maleficiorum, cùm à Judice torqueretur: aliud quàm interrogaretur fateri cœpit: Clamabat enim, ab Angelo majora tormenta ſibi adhiberi, eo, qui cuſtodiret Ambroſium: quoniam temporibus Juſtinæ ad excitanda odia populorum in Epiſcopum, cacumen tecti eccleſiæ conſcendens medio noctis ſacrificaverit: ſed quanto inſtantius, & ſolicitius opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem Catholicam, & Domini ſacerdotem convaleſcebat. Miſiſſe etiam ſe, & dæmones, qui illum internecarent, fatebatur: ſed dæmones renunciaſſe, ſe non ſolùm ad ipſum appropinquare minimè poſſe; verùm B etiam nec ad fores domus, in qua manebat Epiſcopus: quia ignis inſuperabilis omne illud ædificium conſumeret, ut etiam longè poſiti urerentur: atque ita ceſſaſſe artes ſuas, quibus adverſùs Domini ſacerdotem ſe aliquid poſſe arbitrabatur. *Paul. in vita S. Ambroſ. apud Baron. tom.*4. *an.*387.

Cùm *Julianus* Imperator apud Perſas cum exercitu ageret, dignum memoria facinus contigit: nam cùm ex more ad diſcendas res abſentes dæmone nuncio uteretur; quam imbecilles ejus vires eſſent, ut ab homines uno Chriſtiano idem detineri potuerit, fuit certo demonſtratum experimento. Res enim ſic ſe habuit: Cùm aſcenderet Julianus in Perſide, ab eo miſſus eſt dæmon, ut velocius vadens in Occidentem, inde reſponſum aliquod de rebus, quæ illis agerentur in locis, afferret. Cùm autem perveniſſet dæmon ad locum quendam, ubi monachus nomine Publius habitabat: ſtetit ibidem per dies decem immobilis, & non poterat ultra progredi, quia monachus ille die, noctuque oraret. Sicque re infecta, dæmon reverſus eſt, ad Julianum, qui eum miſerat. Quia ei dixit: Quare tardaſti? Reſpondit ei dæmon, dicens. Et moram feci, & C ſine actione reverſus ſum: ſuſtinui decem dies monachum nomine Publium, ſi fortè ceſſaret ab oratione, ut tranſirem; & non ceſſavit, ſicque prohibitus ſum tranſire, & redii nihil agens. Tunc impius Julianus dixit. Cùm regreſſus fuero, vindictam in eum exercebo: qui intra paucos dies interemptus eſt, divina providentia. Addit verò hæc Cedrenus ex iiſdem Vitis SS. Patrum [Hoc cùm quidam procerum ejus inaudiviſſet de legatione dæmonis reddita irrita, admiratione ductus, poſt reditum omnia ſua pauperibus diſtribuit, atque ad ſenem juſtum Publium profectus, præclarus monachus evaſit omnibus prædicans monachorum vim, qua adverſùs tenebroſos dæmones ſunt præditi.] Equidem prædixit Apoſtolus; *Non eſſe nobis colluctationem adverſùs carnem, & ſanguinem, ſed adverſùs principes, & poteſtates, adverſùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Quos poſſe detineri ſpirituali virtute, quæ ſcripta ſunt à Daniele, non obſcurè nos admonent verbis illis: *Princeps autem regni Perſonarum reſtitit mihi viginti, & uno diebus, &c.* Porrò virtute Chriſti adverſùs apoſtatas angelos magnam conſecutos eſſe vim, & poteſtatem ſanctiſſimos viros, quis dubitat? Ecce D enim (dicebant Chriſti diſcipuli) *etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis.* Et fideles judicaturos eſſe angelos, Apoſtolus conteſtatur. *Ex vitis Patrum p.2. c.19. Cedren. in Julian, Glicas 4. p. annal. Niceph. l.11. c.41. & Baron. tom.4. an.363.*

D. Hieronymum juvat audire rem ſtupendam in vita Hilarionis eremitæ ſic deſcribentem. *Vide infrà tit. Cauſæ cur dæmon hominem poſſideat, Peccata, &c.*

Sub Diocletiano Imperatore Juſtina, cum patre à S. Epiſcopo Optato baptizata Domino ſerviens frequentabat eccleſiam. Hanc Agladius ſcholaſticus videns exarſit ob amorem ejus. Et cùm nullo modo poſſet pertingere ad illam, rogavit Cyprianum magum, pretium pollicens, ut arte ſua dæmones invocaret, quo eam in amorem ejus excitare poſſet. Cyprianus autem magus vocatis dæmonibus cœpit agere, ut virginem Chriſti ei adducerent. Qui ſemel, bis, & tertiò venientes ad beatam Juſtinam, nihil apud eam ſuis deceptionibus valuerunt: ſed ſigno Crucis repulſi victi receſſerunt. Cyprianus verò, cùm illorum virtutem adverſùs virginem haud quaquam valuiſſe videret, dicit ad diabolum: Dic mihi, quem ad modum victi eſtis à virgine Juſtina? Cui diabolus: Dicere tibi non poſſumus, niſi priùs jures mihi. Cùmque E Cyprianus illi juraſſet, ait diabolus: Vidi ſignum Crucifixi, & extimui. Cyprianus dixit: Ergo crucifixus major te eſt? Dicit ei diabolus: Etiam, major enim eſt omnibus. Quod audiens Cyprianus contemnens virtutem diaboli, & currens venit ad Epiſcopum Antimum, ceciditque ad pedes ejus, rogans ut doceret eum, & baptiſmo Chriſti conſignaret, Beatus autem Epiſcopus gratias agens Deo, catechizavit eum. Et revertens Cyprianus in domum ſuam, omnia idola confregit. *Ado in martyr. 6. Cal. Octob.*

Dæmonum frequentia incolebatur inſula Lindis Farnintium in Oceano Britannico ſita, ac præterea inculta, frugum, arborumque omnium expers: & quod magis eſt, etiam ibi aquæ erat penuria. Eò profectus Cudberecth uti per modicam illam terram tanquam Anachoreta incoleret, virtutis exercendæ cauſa, dæmones ſolum verterunt, aliò migrantes, inſulaque à Dei ſervis obſequio divino coli cœpit, & ubi malignorum ſpirituum copia, ne humana ibi habitatio ulla eſſet, omnes abſterrebat, Sancti hujus adventu, orationeque maligni omnes illi ſpiritus receſſere. *Venerab. Beda hiſto. Anglic. l.4. c.18.*

Cabades Perſarum Rex. *vide infrà. §. puniuntur qui theſauros, &c. Item refer ex titulo de Dæmonum expulſione ex* F *hominum corporibus, & locis infeſtis, infra. Denique paulò poſt ex loco de dæmoniacis, & energumenis.*

DÆMONUM APPARITIONES.

Vide Titulo de ſpectris. Nonnullas tamen hoc etiam loco afferemus Infra. Tit. Apparitiones. Illuſiones, &c.

* FAMILIARITAS CUM DÆMONE.

Punitur Familiaritas cum Dæmone, eique ſe devoventes, per quam incurrunt impii mortem animæ, & ſæpe corporis.

NICOLAUS REMIGIUS (*l.1. dæmonolatriæ c.9.*) ait, *Theodorus Maillotius* (is præturam in vaſta regni provincia, quæ ditionis eſt Lotharingiæ, ſenex obtinuit) cùm adhuc juvenis ampliſſima familia natam adoleſcentulam in matrimonium deperiret, & illi ejus potiundæ ſpes omnis eſſet abſciſſa atque erepta (nam & fortuna egens, atque humilis, atq; famulatus mercenaria conditione, in qua tum erat ignobilis, & deſpicatus, nullam ne G detegendi quidem amoris ſui honeſtam ſatis rationem videbat.) Ergo, ut deſperatis rebus, & ipſa ſe jam deſerente expectatione, homines ad quodvis conſilium ſe facilè convertunt, ac nullo delectu fugienda, ſequendave amplectuntur; Maillotius conſervum ex Germania, cui audiverat dæmonem eſſe ad quecumque obſequia paratiſſimum, adit, huicque ſuam ægritudinem aperit, rogans, ut ſi quod ei remedium afferre poſſet, id ne gravatè faceret, ingrato enim non iri locatum beneficium. Hanc Germanus occaſionem libens arripit, ut cui ex pacto intra dies paucos neceſſe erat, vel ſe ſuo dæmone liberare, atque expedire adducto alio, qui iſtud ſeu æs alienum in ſe tranſcriberet, vel ab eo obtorta cervice necari, atque interfici (ſiquidem hæc ei pacto lex addita fuerat) agendo itaque negocio conſequenti diei diluculum in clauſo, atque recondito quodam conclavi condicit; ubi vix dum ſe ſtiterant, cum repentè patefactis foribus ſe infert lepida, & liberali forma puella (hoc habitu dæmon primùm ſe oſtendere volebat, ne Maillotius ad formidabilem ejus aſpectum exhorreſceret) eamque ſe eſſe prædicat, quæ illi nuptias, quas tantopere ambiebat, facilè eſſet confectura, modo vellet in iis, quæ eſſet præceptura, obſe- H qui. Ac illo avido, attentèque expectanti quænam ejus eſſet ſententia in primis cœpit edicere, ut furtis, crapulis, libidinibus blaſphemia, cæteriſque, quæ animum inquinant, vitiis temperaret, pietatem coleret, inopes facultatibus ſublevaret, ſeipſum in hebdomada bis jejunio maceraret, ſolemnes ac quotidianas precationes ne intermitteret, eaque ſedulo obiret omnia, quæ Chriſtianum hominem decet, atque æquum eſt facere, iſtis enim omnibus ſi vellet nuncupatis verbis obſtringere, futurum ut potitis thalamis ſine ulla difficultate potiretur. Hæcque ſic elocuta, ac conſtituto intra quem reſponſum ferret diem, ſe foras ejecit. Maillotius, qui viderat tam ſanctis, atque honeſtis conditionibus tantùm ſibi beneficium obtendi, jam nihil cunctandum putabat, qui id gratus, ac lubens acciperet. Sed dum magis magiſque in eam rem cogitationem intendit, atque huc illuc variè inter ſpem, metumque impellitur, ex ejus vultu domeſticus quidam ſacerdos coniiciens aliquid ſubeſſe, quo ſic diſtraheretur, eum blandè adortus, ac quid animo agitare expiſcatus, monitis ſuis pervicit, ne ampliùs ad colloquium

ullum cum dæmone deſcenderet. Sicque fruſtratus ſua A expectatione Germanus, non longè abiit, quin ex pacti formula pœnas penderet. Nam non adeò multis poſt diebus, equo plana, atque aperta via decidens, inque caput proruens, exanimis momento temporis repertus eſt, hæc ex Remigio, *Delrius lib.2.diſq.mag.q.4.*

Idem *l.6.c.2.ſect.3.q.3.an.*1391. in Bavaria, ait mulier ęrumnoſa, levitate naturæ, ſive gravitate ærumnæ implorato dæmoni ſeſe devovit, ut opem ferret, & tum quidem non ſenſit pręſentem, verùm in poteſtatem ut rediit ex mœrore, dedit pęnas jacti verbi, terroribus non tantùm pavida, ſed & verberibus tunſa, ut etiam ab aditu noſtri templi prohiberetur, virgarum quas ſola ipſa conſpicabatur intentatu. Cùm rem narraſſet matronæ cuidam, adducta ad ſacerdotem noſtrum ab eoque confeſſione purgata eſt, omnique moleſtia liberata, cerea cæleſtis agni imagine ad collum appenſa, &c.

* Poena Eorum, Qui Ope Dæmonis Utuntur, *In theſauris inveniendis.*

*Andr. Cæſalpinus in ſua dæmonum inveſtigatione c.*12. ſcri- B bit: Theſaurorum quidem indagatores per magicas facultates multos novimus, ſed qui aſſecuti fuerint, compertu non habeo. Piſis tentaverunt quidam noſtris temporibus effodere, ſed rei difficultate victi ab opere ceſſarunt. Tandem anno elapſo locum in quo Neronis ædificia extitiſſe ferunt, hodie autem ſacris virginibus dicatum effodere cœperunt, ubi erat ingens pini arbor: ſed à dæmonibus adeò infeſtati ſunt, ut præ timore ab incepto deſiſtere coacti fuerint: quo tempore multæ ex virginibus locum habitantibus a dæmone obſeſſæ ſunt. Quia hanc theſauri illicitam ſcrutationem in ſuo ſolo fieri permiſerant, in hoc mundo pœnam illis Deus inflixit, ut in alia vita parceret.

*Andreas Thevetus l.8. Coſm.c.*1. narrat ob oculato teſte acceptum de græculo quodam Macriano eum dum in Paro inſula theſaurum quæreret à terra abſorptum.

Paucos ante annos quidam Prior Margullinæ, cum duobus ſociis foſſam quandam in ſpelunca Regis Salai propè Puteolos, theſaurorum cauſa ingreſſus, miſerè interiit, nec ampliùs viſus, ut narrat *Villamontius l.1.itinerarii ſui c.*23. Similia refert Cedrenus in Anaſtaſio.

Ante aliquot annos Baſilienſis civis cryptam quandam, quę Auguſtæ Rauracorum patet, ingreſſus, ut familiæ ſuæ pauper- C tatem levaret, nihil præter cadaverum humanorum oſſa invenit, & ſubito correptus horrore, feſtinus egreſſus, intemperiis actus fuit, donec tertia poſt die miſerè interiret. *Delr lib.*2. *diſq. mag. q.*12.

Cabades Perſarum Rex cùm accepiſſet in Collimitio Perſię, & Indiæ, in munitiſſima arce Zudaderenſi, pretioſiſſimorum lapidum, auri, & argenti, theſaurum maximum à dæmonibus aſſervari, qui mortales omnes aditu arcerent, eò cum exercitu profectus, caſtrum vi conatus occupare, fortiter propugnantibus dæmonibus, repulſus fuit. Confugit ergo ad Judæorum, & magorum artes, quæ & ipſæ irritæ fuerunt. Ergo cum ei perſuaſum (ait Cedrenus) fuiſſet, apud Chriſtianorum Deum precibus hoc potiri poſſe, auxilium à quodam Chriſtianorum in Perſide degentium Epiſcopo petiit. Is indicto Chriſtianis jejunio, precibus, & Synaxi, divina peregit myſteria, & ad locum accedens, conjuratos dæmones ibi degentes exegit, caſtrumque Cabadæ nullo labore potiendum tradidit. *Glycas part.*4. *Annal. & Cedrenus in Anaſtaſio.*

In Vulneribus Declinandis.

D Novi ſtudioſum, *ait Delrius*, juris, nomine Quirinum, v. I. Baccalaureum, qui membranula variis characteribus magicis inſignita fretus, cùm audacter ſe jurgiis, & pugnis immiſcuiſſet, ſæpè ictus, nunquam ſaucius, tandem Ro. an. 1572. vel 1573. in ſympoſio minimo vulnere fuit interemptus. *Del-Rio l.2.diſq.mag.q.*12.

Auctor Formicarii, in territorio ait, Bernenſium primus auctor maleficiorum fuit quidam Scaſius dictus, qui publicè de hoc gloriari audebat, quòd, quandocunque vellet, ipſe ſe omnium ſuorum in æmulorum oculis velut murem facere valeret, & diaboli à manibus inimicorum ſuorum lethalium; & ita capitalium ſuorum inimicorum manibus ſæpè, ut dicitur, evaſit, ſed cum terminum ipſius malitiæ divina juſtitia facere voluit, tandem per hoſtes ſuos in ſtuffa quadam propè feneſtram ſedere explorabatur caute; quo in loco, cùm nullum de ſibi inſidiantibus ſuſpectum haberet, per feneſtram gladiis, & haſtis inopinatè transfixus eſt, & ob ſua facinora ibi mortuus miſerabiliter. hæc Niderius. Sic ſuos dæmon deludit. *Tympius in theatro vindictæ divinæ.*

Dæmonum Apparitiones, Illusiones, &c.

E Dæmon quamvis ſit incorporeus, nihilominus ſe corporeis oculis viſibilem præbere, pro comperto eſt, quamvis nonniſi corporaliter, aſſumpto videl. corpore id nequeat. Poteſt ergo, vel corpus ex elementis ſibi coaptare, vel cadaver ſubingredi, & circumferre, ſive humanum, ſive ferinum, atque ita attemperare, ut tactum fallant, Deo ita permittente, quamvis plerumque frigida ejuſmodi corpora exiſtant, ut conſtat apud *Alexand.ab Alexand.Genial. dier.l.2.c.9.* & *Cardanum l.16. de rer. variet. c.93.* Immò memorat de eadem re *Cajetanus Card.2.2.q.95. art.3.* cuidam de hoc frigore ſciſcitanti, dæmonem reſpondiſſe, quod non poſſet melius facere. Deo ſcilicet obſiſtente, vel ſaltem non permittente.

Sunt aliæ eorumdem illuſiones Phantaſticæ, qua apparere poſſunt turbata hominis phantaſia, de quibus in pręſenti non agimus.

* Apparitiones In Cadavere Assumpto.

Refert *Gulielm. Pariſienſ. P. vet. de univerſo*, dæmonem aliquando aſſumpto cadavere beſtiæ deluſiſſe militem: qui cùm F putaret ſe formoſa potitum virgine, invenit ſe in amplexu cadaveris belluini tabe ſoluti, fœtidiſſimè jacentem.

De Polycriti apparitione, ſpectroque filium devorante, variis in hiſtoriis memoratur.

Fabulæ ſimile videtur, quod Phlegon retulit, ille tamen oculata ſe fide Trallis teſtatur cognoviſſe: rem ſic narrat, ut utar compendio: [Philinnium Damoſtrati hoſpitis, & Charitus filia, Machatem hoſpitem amare cœpit. Indignè id ferentibus parentibus, mœrore mortua, & publicè fuit funerata. Sexto poſt obitum menſe, cùm eo revertiſſet Machates, ingreſſa ad illum Philinnium hoſpiti ſe poſt longa colloquia commiſcuit non ſemel illo veſperi; qui & cum eo cœnam ſumpſit; & annulum ferreum, & poculum inauratum à Machate dono accepit, ipſi viciſſim annulum aureum, & faſciam pectoralem dedit. Nutrix dum pergit ſedula, nequid hoſpiti deſit, ſatagere; videt cum eo in lectulo jacentem alumnam. Læta parentibus id indicat. Illi ſtupentes accurrunt, & altero die utrumque deprehendunt, & cum ejulatu, dormientem cum hoſpite filiam amplectuntur. Sed torvis in eos intuens Philinnium, ò vos crudeles (ait) in filiam parentes? ergo ne vos invidiſſe G mihi meo Machata, paterna in domo, vel triduum ſolidum frui! Magno vobis dolore hæc, ſive curioſitas, ſive duritia ſtabit. Renovabitis dolores præteritos, & filiam iteratò ſepelietis. His dictis, expalluit, & concidit cadaver mortuo iterùm ſimile, ſeu potiùs (ut erat) mortuum. Concidere ſimul oppreſſi mœrore parens, paterque. Re populus, & magiſtratus intellecta, jubent ſepulchra aperiri: vacuum id corpore repertum. Erant in eo dumtaxat annulus ferreus, & ſcyphus auratus, dona Machatæ: ſed in cubiculo, & lectulo, inventum cadaver Philinni; & Hilli cujuſdam auguris conſilio, ut prodigium, ejectum extra urbis limites, avibus ac feris devorandum. Ipſe Machates, à ſpectro videns ſe deluſum, ſibi paulò poſt manus, ignominiam non ferens, conſcivit. Hæc à Phlegonte fuſiùs narrantur; illo inquam Phlegonte, cujus auctoritate & Juriſconſultus Paulus, & Origenes, ad probandam Ecclipſim, quæ Chriſto accidit moriente, utuntur.

In hiſtoria quoque Laodunenſis energumenæ *Nic. de Obry*, legimus, Diabolum Baltazum, aſſumpto ſuſpendioſi corpore, conatum abigere ab ea exorciſtam. Denique mul- H tæ falſæ reſurrectiones gentilium huc ſunt referendæ: & conſtat, cum ſagis, ut plurimùm, induto cadavere diabolum, ſive incubum, ſive ſuccubum, rem habere, unde & in hoc genere hominum, cadaveroſus quidam fœtor graveolentiæ cernitur. Juvat hìc meminiſſe hiſtoriæ luctuoſæ, quæ Lovanii in Brabantia haud ita pridem evenit. Erat in ea urbe Cornel. Agrippa magus celebris, qui commenſalem habebat plus æquo curioſum, hic omni, quo potuit, conatu uxorem illius circumvenit, ut poteſtatem ſibi faceret ingrediendi Muſæum mariti abſentis. Ingreſſus incidit in librum Conjurationum, & juvenili impetu legit. Extemplo pulſatur ad januam, turbatur ille: pergit tamen legere, Dæmon accedit, quærit, cur vocetur, quid fieri jubeat? Iſti metus vocem, fauces Dæmon intercludit. Redit Agrippa, jam certior eorum, quæ acciderant: & jubet familiari ſuo, cadaver ingrederetur, & per forum, cum aliis ſtudioſis obambulare, tandemque corpus deſerere. Paret, ambulat, corpus deſerit. Exiſtimatum inopinatò extinctum juvenem: ſed indicia ſuffocationis rem ſuſpectam fecere,

fecere, donec pro comperto eam redderet Agrippæ fuga A in Lotharingiam: ubi quas pectore impoſturas occuluerat, evomuit. *Del Rio l.2.q.29.ſ.1.Diſquiſit.magic.*

* Apparitiones In Corpore Elementari Assumpto.

Dæmonem poſſe ſibi adaptare corpus elemantare, id eſt, ex elementis efformatum commiſcendo aeri partes terreas, & aquoſas, vaporum, nubium, exhalationumve, ut colores exprimat, & membra condenſet, antiquorum eſt opinio, & experientia docet, neque Maro ignoravit, cum cecinit *lib.*10. *Æneid.*

Tum Dea nube cava tenuem ſine viribus umbram
In faciem Aneæ, viſu mirabile monſtrum,
Dardaniis onerat telis, &c.

Ecce non aere ſolo, ſed nube mixta. De vapore *Sprengerus in Malleo* docet, viſas veſte ſubducta in agris mulierculas, corpus motitantes, criſſanteſque ſolas; & aſpectum mox dæmonem vaporis ſive exhalationis atræ habitu, recedentem. Dæmonis apparitio in corpore elementari fuit B illa frequens viſio fratrum Tarquiniorum apud Dionyſ. Halicarnaſ. talis Athenodori apud Plinium, quidquid dicat Fran. Picus *lib.1. de prænot.* illud enim puto axioma, & regulam ſtatui verè, ac tutò poſſe; In gentilium, & damnatorum (quia fidei expertes) apparitionibus, non animam (niſi ſpeciali Dei privilegio, de quo unde conſtat in Athenodori viſione?) defuncti apparuiſſe, ſed ejus loco dæmonem quempiam.

Tales etiam putarim omnes apparitiones ſpirituum, ocioſas cum hominibus, & varia, multipliciaque colloquia miſcentium: teſtatur de Facio patre ſuo Cardanus; & meritò omnes ſuſpectum habent ſortilegii, ſive pacti, cum dæmone.

Teſtatur Melanchton (*lib. de anima*) ſe, & colloquia diſputationes cum pluribus ſpectris inſtituiſſe: ſanctitas hęc, curioſitas nuda, an occultum pactum? nihil judico, rem in medio relinquo: etiam Lutherus cum dæmone collocutus, de abroganda Miſſa.

Tale haud dubiè ſpectrum inceſtuoſi Perſæ, cujus ſemper cadaver terra eiiciebat, de quo prolixa commemoratio apud Agatiam reperitur *l.2.belli Perſici extremo.*

C Tales viſiones fuere Gentilium Idolorum, ut Caſtoris, & Pollucis ad lacum Juturnæ, ut L. Domitii Ænorbabi, ut Amyris Perſæ, ut quod apparuit Dionyſ. Siracuſano, ut Curtio Ruffo, ut Imperatori Pertinaci apud Capitolinum, ut Tacito Imperatori apud Vopiſcum, ut Conſtantino, & Juliano apud Ammianum, Valenti apud Zozimum, & apud eundem Serenę uxori Stiliconis: alia præter hęc congeſſit *Pet. Thyræus, l.2. de apparit. ſpirit. cap.9.* Ea verò quæ adduximus, repetientur apud *Symmach.l.1.Epiſt.29. Suetonium in Nerone c.1. Plutarchum in vita Dionis. Plinium junior. l.7. Epiſt. Ammian. lib.21. & 25. Seзymum, l.4. & 5.*

Require Tit. de ſpiritibus, & ſpectris.

Dæmoniaci. A Dæmone Obsessi, Possessi, Energumemi,

Apud Catholicos certum eſt, homines poſſideri, obſideri, & invadi à Dæmone, ita ut verè dæmones in iis ſint, & poteſtatem accipiant eos vexandi, & exercendi, unde dicuntur Energumeni voce communi, quaſi exercitati. Non ergo Job, aut Anachoretæ illi, qui dæmonum præſtigiis fuerunt exercitati, D energumeni vocantur, quia duo illa requiruntur, ut quis dicatur poſſeſſus, vel obſeſſus à Dæmone. Quocirca Ildegerdis alioquin ſanctæ, opinio refellitur, qua ſibi revelatum narrabat, Deum non permittere, ut Diabolus ſecundùm ſuam eſſentiam, ut eſt in loco, corpora poſſideat. Contrarium enim conſtat apertè ex dæmoniacis ipſis.

Et primùm quidem Judæorum opinione probatur, qui Chriſto obiiciebant, quod dæmonium haberet. *Joan.c.8. Luc.c.21.*

Chriſtus ipſe præſcribit modum eiiciendi dæmones magis inſignes; hoc inquiens, genus dæmoniorum non eiicitur niſi oratione, & jejunio. *Matth.c.17.*

Ipſe plures dæmones ab hominibus profligavit, ut dicemus infrà. Dat Apoſtolis facultatem ſuper ſpiritus immundos. *Marc.ult.* & dicit, ſigna, qui crediderint, hæc ſecutura: In nomine meo dæmonia eiicient, &c. *Marc.16.*

Quin ipſi Apoſtoli dicunt: Domine, etiam in nomine tuo ſubiiciuntur nobis dæmonia. *Luc.c.29.*

Adde Apoſtolorum, & virorum Sanctorum exempla, qui dęmones orationibus, exorciſmis, aliiſque rebus ab Eccleſia inſtitutis ejecerunt: quod nulli hactenus hæretici, quantumvis dæmonum amici, mox ſocii futuri, unquam valuerunt.

Quin in actis Apoſtolicis, ſpiritus immundus invaſit, & di- E laceravit eos, qui exorcizandi miniſterium ſibi uſurpabant, *c.19.* & in Evangelio dæmonia, quæ hominum corpora ſubintraverant, eos reddiderunt cæcos, ſurdos & mutos, nunc in aquam, nunc in ignem præcipitarunt: nunc per agros, & montes agitarunt, ut conſtat *Matt.1.12.15.17.&c.*

In Judam quoque poſt acceptam buccellam, dicitur ingreſſus Diabolus: non tamen eum obſedit, neque enim ſæviendi in illum accepit poteſtatem, ſed cogitationem peſſimam Chriſtum vendendi ſuggeſſit, ut patet ex *c.13. Joannis.*

Forma, Qua Insunt.

Quamvis dæmones hominum corpora ſubintrare dicantur, non tamen idcircò eos in obſeſſorum corporibus, viſibili forma manere eſt neceſſarium, aut corpus aliquod aſſumere. Ingrediuntur enim, ut homines affligant, ad quod corpore aſſumpto opus non habent. Poſſunt tamen ea aſſumere, & ſub illis manere, puta ſub ſpecie muſcæ, pulicis, araneæ: aut ſimilis animalculi. F

Ita refert Gregorius Presbyter *in vita Theodori Archimandritæ*, quòd cùm ex quodam Cauponis filio, Petrus is vocabatur, eiiceret ſpiritum immundum: ille egreſſum ſuum, magno clamore edito, & in ſpecie nigræ formicæ ex ore prodeuntis, declaravit.

Sic de Germano Epiſcopo Pariſienſi, refert in vita ipſius Fortunatus Pictavorum Antiſtes, quod obſeſſæ mulieri manum impoſuerit, & crucem impreſſerit, dæmon verò per nares in forma muſcæ cum ſanguine copioſo exiverit.

Idem Fortunatus è Diacono quodam dæmonem expulit ſub ſpecie parvæ avis. *Fortunatus cap.5. ſuprà.*

Causæ.

Fortiſſima cauſa, cur Deus permittit Dæmoni, ut corpora hominum invadat poſſideat, aſſignatur à B. Chryſoſtomo: ut hac ratione innoteſcat Dei clementia, dum oſtendit, à quali nos hoſte per filium ſuum liberaverit: adverſùs quem homini poteſtatem dedit, ut poſſit eum ſuperare, & expellere, ejuſque vires peſſundare.

Pertinet deinde ad Dei juſtitiam, qua hac ratione vult in hac vita punire peccata, ut homines timorem conciperent pœnarum infernalium, cùm vident earum miniſtros tantam exer- G cere truculentiam. Certum eſt enim, Diabolum affectare introitum in corpora humana, tum odio illius carnis, quam aſſumptam à Dei filio non ignorat: tum quia corpore tanquam inſtrumento utitur ad animæ perniciem, ut quam immediatè movere nequit. Denique ut poteſtatem ſuam exerceat.

Etiam peccata aliena aliquando hoc modo puniuntur, ut docet exemplum Eleutherii apud *Gregor. l.3. Dialog. c.31.* cujus ob immoderatam lætitiam, denuo dæmon diſcipulum, quem reliquerat, invaſit. Itemque aliud apud eumdem *2. Dialog. c.20.* de extincto à Dæmone infantulo, quia parens ei, Epiſcopo ſuo detrahenti libenter auſcultavit.

Sed & immeritos nonnunquam, uti parvulos, & lactentes invadit hoſtis ille Infernalis, ut teſtis eſt *B. Aug. l.21. Civit. Dei, c.18. & Hieronym. Epiſt. ad Paulam de dormit. Bleſillæ.* Ita de puero obſeſſo eſt memorabilis hiſtoria. In vita S. Bernardi apud Surium, *l.2.c.3. Tit.4. fol.*800. De puero alio, quem à ſæviſſimo dæmone liberavit B. Macarius, narrat *Pallad. in vita.*

De alio puero meminit Metaphr. *in vita C. Parthenii. 7. Feb.*

Theoloſenſem puellam à Dæmonio liberavit S. Remigius. H De quo vide Hincmarum in vita, *apud Surium Tom.1. fol.*283.

Etiam apud Marcum Evangeliſtam fit mentio pueri, qui ab infantia graviſſimum dæmonum ſuſtinuerat: prout pater pueri Chriſto confitebatur. *cap.9.*

Addam hiſtoriam ex Gregorio Turonenſi deſumptam, in vita Nicetii, quam poſt eum recenſet Cæſar Baron. *To.7. Annal. an.*530. In qua non una divinæ providentiæ elucet cauſa, cur etiam immeritos ſubinde vexari à Cacodæmone permittit. Ita verò ſe habet. Theodorico, inquit, Franc. Rege defuncto, Theobertus filius ejus ſucceſſit, qui cum multa iniquè exerceret, multa etiam permitteret, quæ impedire oportebat, à S. Nicetio Trevirenſi Epiſcopo arguebatur. Advenit autem dies Dominicus: & ecce rex, cum his, qui à Nicetio, communioni abeſſe juſſi erant, eccleſiam eſt ingreſſus. Lectis igitur lectionib. ait Sacerdos, non hic Miſſarum ſolemnia conſummabuntur, niſi communione privati priùs abſcedant. Hic Rege renitente, ſubitò exclamat unus ex populo arreptus à Dæmone juvenis adhuc puer, cœpit valida inter ſupplicia torturæ ſuæ, ut S. virtutes, &